CASPARIS ZIEGLERI,

JCTI VITEMBERGENSIS LONGE CELEBERRIMI,

ELEGANS DISSERTATIO

DE

APOCHIS

VULGO

Von Qvittungen,

CUI

JOH. ANDREÆ FROMMANNI,

JCTI TUBINGENSIS FAMIGERATISSIMI,

PRÆSTANS DISSERTATIO

DE

EADEM MATERIA

ADJECTA,

Et ob raritatem cum priori recuſa.

N. POLI

HALÆ MAGDEB. SUMTU HENDELIANO, 1739. (7)

Digitized by Google

Digitized by Google

CASPARIS ZIEGLERI,

JCti in Supremo Provocationum Senatu Electorali Saxonico Conſiliarii, Anteceſſoris in Academia Vitembergenſ. Primarii, & Facultatis Juridicæ ibidem Præſidis Ordinarii,

DISSERTATIO
DE

APOCHIS,

Olim Vitembergæ Menſe Nov. 1667. habita,

Reſpondente

Gottfried Hillmann,
Camentio Luſat.

Digitized by Google

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

Theſ. I *Apochæ Synonymia* II *Homonymia.* III. *Definitio.* IV. *Et ſcriptura non inſtrumentum* V. *Neque liberatio a teſtibus probata* VI *Diviſiones* 1) *in plenariam.* VII. *Et partialem quando hæc locum habeat, invito creditore.* VIII. 2) *In publicam, ejus ſingularia.* IX. *Quaſi publicam. Auctoritas Notariorum.* X. *Judicialem.* XI. *An ad eam præſentia Scabinorum requiratur?* XII. *An Sigillum & Subſcriptio Magiſtratus ſimul?* XIII. *A Judice confirmatam.* XIV. *& privatam.* XV. *Apocham dare qui impediantur.* XVI. *Qui prohibantur?* XVII. *An mulier?* XVIII. *Quis recte ſolvere & Apocham petere poſſit.* XIX. XX *A quo ea ſcribenda. An a debitore?* XXI. *A Creditore ſcripta, vel ſubſcripta, vel ſubſignata, quid operetur.* XXII. *Quid ſi a Tertio ſcripta ſit?* XXIII. *Fit conſenſu quam primum facta eſt ſolutio.* XXIV. *Quid ſubſcriptione colligitur?* XXV. *Requiſita reliqua* 1) *materia in qua ſcribitur.* 2) *Nomen Creditoris & Debitoris.* 3) *Quantitas.* XXVI. 4) *Titulus.* XXVII. *an* 5) *dies & Conſul.* XXVIII. *an* 6) *ſubſcriptio teſtium. Solventi quoque Chirographum reddi debet.* XXIX. XXX. *Effectus Apochæ, probatio ſolutionis.* XXXI. *Modo privata ſit recognita.* XXXII. *Aliiſve modis verificata.* XXXIII. *Et modo authenticum producatur. Fides apographo quando habenda.* XXXIV. *Inſtrumentum non probat niſi recognitum.* XXXV. *Saltim in foro Electorali Saxonico.* XXXVI. *Exceptiones contra Apocham privatam.* XXXVII. *Non numeratæ pecuniæ.* XXXVIII. *Chartæ blancæ.* XXXIX *Apochæ contrariæ.* XL. *An Apocha per Teſtes deſtrui poſſit?* XLI. *Exceptio Cancellationis vel raſuræ quid operatur.* XLII. *Quid ſi Apocha perierit, aut ſolvens nullam acceperit?*

Digitized by Google

Q. D. B. V.

Theſ. I.

SI paulo attentioris animi ad eorum cognitionem, quæ quotidie occurrunt, eſſe jubemur, *l. 25. in pr ff. de liberat. legat.* nullus dubito, quin operam meam locaturus ſim optime, ſi de ſecuritate debitorum, id quod æque in foro frequentiſſimum, quam humanæ ſocietatis utiliſſimum, adjuvante divina gratia, ingenii mei viribus diſſerere ſuſcipiam. Dicitur itaque APOCHA, vel, ut quidam volunt, APODISSA græc. ἀπόδειξις, ἀπὸ τȣ̃ ἀπέχειν, a recipere, quia, cum a debitore creditor recepit debitum, hæc in ſecuritatem traditur, & propterea eleganter dicitur a græcis ἀμέριμνα, uti paſſim in novellis & libris βασιλικῶν habetur, quia nempe ab omni cura liberum reddit debitorem. SUSCEPTA dicitur *Novell Juſt. 72. in præfat.* RECEPTA *l. 13. C. de ſolut.* quia creditor per eam ſe ſuſcepiſſe debitum ſuum teſtatur: RECAUTA appellatur *Novell. 130.* ubi *Conrad.* RITTERSHUSIUS obſervat, CAUTA & RECAUTA ſibi invicem opponi, illa denotari ſyngrapha, hæc vero Apochas QUIETATIONEM & QUITTANTIAM vocant eam noſtræ ætatis JCti, quos omnes

recenſere ex re noſtra non erit. Sufficiet eorum Anteſignanus digniſſimus, *Benedictus* CARPZOVIUS *p. mem.* Vir ille, cui faſces ſubmittunt omnes, tanquam LL. Saxonicarum interpretatori dexterrimo, qui in aureis ſuis ſcriptis hac voce paſſim uſus eſt. Et ſortitur hanc appellationem propterea, quoniam debitorem ea ipſa quietum ac ſecurum efficimus. Germanico idiomate audit eine Quittung, ac ortum ſuum trahit a quitt, quod in vernacula noſtra idem eſt ac frey, und ledig. WEHNERUS *obſ. lit. Q. b. v.* Nec abſonum erit, etiamſi natales petamus a Gallis *Quitter* iis idem eſt ac liberare, a quibusdam enim noſtratium vocatur etiam propterea ſchedula liberatoria. BORNIT. *de fide Inſtrum. lib. 3. c. 15.*

Th. II.

Acceptio vocabuli APOCHÆ, quamvis diverſimode ſumatur, ubique tamen, quantum mihi videre licuit, profeſſionem ſolutionis, atque liberationem ab obligatione, & contractu, ſignificat; ſive ille ſit μονόπλευρος ſive δύπλευρος, ſive obligatio ſit naturalis ſive civilis. Quamvis etiam confeſſio facta fuerit a SUSCEPTORE, qui annonis & tributis utriusque ærarii recipiendis occupatur *l. 5. ff. de cenſib.* ab OFFICIALI vel EXACTORE *C. de Apoch. publ.* a PRÆPOSITO vel ARCARIO, qui ſuper iis, quæ in arcam Præfect. præt. inferuntur, conſtituti ſunt. CUJAC. *ad Tit. C. de ſuſcept. l. 9 §. 2 ff. de muner.* Hic referre licet quoque triplices illas appellationes quarum mentionem facit CUJAC. *in princ. C. de diverſ. temp. præſc.* ejusdem enim ſunt ſignificationis. Quod vero acceptilationem quoque Apocham nominet, nimis durum, non dicam incongruum, videtur, quoniam differentia earum nullis non patet.

Th. III.

Th. III.

Definitur APOCHA, quod ſit ſcriptura, qua mediante, creditor ſolutionem ſibi factam a debitore confitetur, eundemque ab omni ulteriori obligatione liberat. In qua ſignificatione diſtinguitur a Chirographo, quo debitor, quid, quantum, & ex qua cauſa creditori ſuo debeat, confitetur. Diſtinguitur etiam ab Antapocha, quæ eſt confesſio ſolutæ pecuniæ, ſed datur hæc Creditori a Debitore *l. 19. C. de ſid. Inſtrum. Magnif. Dominus* BRUNNEMANN *ad d. loc.* Apocha ſolventi, Antapocha recipienti datur. GOTHOFRED. *in not. ad l. fin. ſ. 2. de condict. indeb.*

Th. IV.

Generis loco poſuimus *Scripturam*, ubi non præmittendum, quod Dd. nondum certo conveniant, anne Apocha inſtrumentum poſſit vocari nec ne? Affirmativam qui tuentur, moti ſunt forſan Inſtrumenti Etymologia, quia Apocha æque ac inſtrumento publico, & judex & partes inſtruuntur: Suffragatur ipſis quoque *l. 5. C. de probat.* in qua dicitur, quod domeſtica inſtrumenta ſine aliis adminiculis ad probationem plenam inducendam non ſufficiant, ac illis verbis, (domeſtica inſtrumenta) intelligit Imper. privatas ſcripturas, Publica enim absque dubio ſufficerent. Accedunt porro aliarum legum verba *v. g. l. 21. ad leg. Corn. de falſ.* in conſcribendis publicis privatisque inſtrumentis *l. 20. C. de fide Inſtrum.* ex chirographariis, aliisque inſtrumentis, quæ non ſunt publice confecta, *l. 17. C. ſi cert. petatur*, ſuper chirographariis inſtrumentis. A partibus negantium qui ſtant, allegant ſequentes legum textus. (1) *L. 1. C. de jure jur. propter. calumn. dand*, ubi ſeparatim loquitur imperator de inſtrumentis publicis & ſcripturis privatis: ſignum eſt ergo evidens, quod inter ſe ſint diverſa, nec unum

alterius

alterius appellatione ubique comprehendatur. (2) *L. 11. C. qui potior in pign.* ubi expreſſe conſtituitur differentia inter ſcripturam & inſtrumentum publicum. Eſſent adhuc alia loca quamplurima, quæ qualis differentia inter ſcripturam & inſtrumentum ſit, nos edocent, aſt ob chartæ anguſtias ea præteribimus. Huic ultimæ vero ſententiæ calculum noſtrum adjicimus, partim ob allegatos textus, partim ob propriiſſimum loquendi modum, quem confirmat ZOESIUS *in comm. ad ff. tit. de fid. inſtrum. n. 2.* his verbis: Apocha rectius appellatur ſchedula, ſeu ſcriptura, quam inſtrumentum. Et CARPZOV. *in proc. tit. 14. a. 1. n. 22.* aſſerit, privatam ſcripturam proprie non poſſe nuncupari inſtrumentum, etiamſi ſub communi Inſtrumentorum appellatione Apochæ aliæque privatæ ſcripturæ veniant.

Th. V.

Genus ergo definitionis proximum, ſcriptura eſt, qua innuitur ad ſubſtantiam ejus requiri ſcriptionem *tot. tit. ff. de fide inſtrum.* Nec obſtat, quod liberatio debiti a creditore facta, poſſit non per juramentum ſolum *lib. 27. ff. de jurejur.* verum etiam per teſtes probari. FREYHER *in tract. de ſolut. memb. 2. num. 19.* Imo quod idem efficere poſſimus per redditionem Chirographi. *l. 2. §. 1. de pact. Magnif. Dn.* STRUVE famigeratiſſimus JCtus & P. P. in alma Salana, præceptor quondam meus fideliſſimus, *Exerc. 47. n. 76.* Reſpondetur enim ad ea, quod diſtinctio ſit inter liberationem ipſam, & inter modum comprobandi. Non negamus, quod creditor debitorem ſuum, etiam coram teſtibus, ratione debiti liberare poſſit, & maxime in eo caſu, ſi creditor litterarum ſit ignarus. Qua ratione vero illam ſolutionem, imprimis ſi teſtes ſint mortui, probare poſſet non video. Hic notandum venit & hoc, quod, ſi debitum aliquod in Chiro-

graphum

Digitized by Google

graphum ſit redactum, ſeu inſtrumentum ſuper eo confectum, ſolutio quoque ejus a debitore eam allegante probari debeat per ſcripturam, id eſt apocham.

Th. VI.

Dividitur Apocha, (1) in PLENARIAM totius nempe debiti, & PARTICULAREM partis tantum cujusdam ſolutæ confeſſionem (2) in PUBLICAM vel PRIVATAM. Publica eſt vel MERE TALIS, vel QUASI a Notario nempe confecta, vel FORENSIS. De plenaria ut multum dicam operæ precium non eſt, quoniam ea omnia, quæ in ſequenti diſcurſu, de diverſis apocharum ſpeciebus dicentur, intelligenda erunt de illa (von der Quittung über die Haupt-Summa.)

Th. VII.

Partialis eſt, quæ parte tantum debiti ſoluta datur, quæ ſolutio vero minime poteſt fieri creditore invito *l. 3. fam. erciſ. l. 41 ſ. 1. de Uſuris* CARPZOV. *p. 2. c. 28. d 13.* modo pars debiti non fuerit illiquida, vel diverſæ ſummæ debeantur *l. fin. q. m. pig. ſolv.* vel tempore belli factus aliquis ſit debitor: Nam ob bellicas calamitates particularis ſolutio debitori conceſſa eſt *noviſſima Imperii conſtitutione An. 1654. ſ.* Nachdem auch ꝛc. præter hos caſus non fieri poteſt ſolutio particulatim, quia multa habet incommoda *l. 13. ff. de famil. erciſc.* Non obſtantibus Decio & Alciato, qui creditorem cogi poſſe, ut maſſam debiti patiatur dividi aſſerunt, textus enim *l. 21. ff. de reb. cred.* quo commoti a communi Dd. opinione receſſerunt, conſenſum creditoris non excludit. BRONCH *cent. 2. aſſert. 17. Enant.* Nec procedit argumentum a Correlativis quod nectunt contradicentes *arg. l. 17. ſ. duobus ff. commodati.* Creditorem nempe ab invito etiam debitore partem debiti poſſe petere, ergo lice-

Digitized by Google

re debitori particulatim ſolvere. Sed ad noſtram diviſionem!

Th. VIII.

Apocha publica, a perſonis publicis nempe dicta, eſt profeſſio ſoluti debiti, ſeu tributi. Debet hæc in ſe continere, ſecundum *text. l. 1. de Apoch. publ.* nomen ſolventis, diem, menſem, nomen Conſulis, ex qua cauſa ſolvatur, & ſummam ſeu quantitatem ſoluti, ut quid ſolutum ſit manifeſto appareat. Hodie vero debitoris tamen & actoris nomen, annus & dies, nec non cauſa requiritur. BRUNNEMANN. *ad dict. loc.* Et ſingulare eſt ejusmodi Apochis, quod non admittant. Exceptionem non numeratæ pecuniæ KLOCK. *de contrib. cap. 20. n. 377.* quia non præſumitur officialis, prius liberaſſe debitorem, quam accepit tributum. *l. ult. h. t.* Notandum quoque & hoc eſt, quod per apochas trium cohærentium annorum de antecedentibus quoque ſolutum eſſe, probare liceat *text. l. 3. h. t.* ad quod tamen annorum continuitas requiritur. PEREZ *add. t. de publ. Apoch.* Sed ſi debitor per aliquot annos ſolverit minores cenſus, eamque ſolutionem apochis a creditore acceptis probare poſſit, quæritur: an majores cenſus ſolvere, & id, quod iis deficit, ſupplere teneatur, & eum non teneri, ſtatuo cum BERLICH. *p. 2. cap. 5. num. 13.* triennium tamen haud ſufficit. Sed longum tempus requiritur. CARPZOV. *p. 2. Conſt. 40. d. 5.*

Th. IX.

Apocha quaſi publica eſt, quæ a Notario perſona nempe publica, a partibus ad id rogato conficitur, hæc ſi ſecundum requiſita maxime neceſſaria, quæ a ZOESIO *comment. ad tit. ff. de fide inſtrum.* recenſentur, conſcribitur, non minorem fidem habet, quam Acta ipſius Judicis: Notarii

Digitized by Google

tarii enim habentur judices in cauſis coram ſe tractatis, eamque Jurisdictionem ab Imperatore habent conceſſam. MAXIMIL. *1. Receſſ. Imperii de anno 1530. Andreas* GAIL. *lib. I. obſerv. I. num. 13.* Ea omnia ſuper quibus rogatus Notarius inſtrumentum publicum fecit, plene probant, dato etiam, quod omnes eſſent mortui. CARPZOV. *p. 3. Conſtit. 3. d. 37.* Atque id non modo quia præſumtio pro ipſis tanquam viris bonis militat; Sed ob præſtitum quoque Juramentum *Anton* FABER. *in Cod. lib. 6. t. 5. Phil.* DECIVS *Conſ. 42. num. 5. Matth.* WESEMB. *p. 3. conſ.* KÖPPEN *Deciſ. 64. n. 2. Conſt. 3. ſ. 37.* Quoniam itaque tanta eſt Notariorum auctoritas, facili negotio refutari poſſunt oſores illi, qui ad eorum authoritatem infringendam inſtrumentisque fidem derogandam objiciunt: adeo vile officium eorum haberi, ut infami ad illud conſequendum ſperare liceat gloſſa *l. univerſos ff. de decur.* ſed ſciant iſti detrectatores: illos, qui olim hoc nomine appellati ſunt, omni juris & legum cognitione ignaros fuiſſe, & a notis, ac characteribus, quos volante calamo excipere potuerunt, tantum fuiſſe denominatos; qui vero apud nos hoc titulo gaudent, non aſſequuntur illum, niſi prævio examine erudito. Plura de hoc dicere non ſpectat ad præſens.

Th. X.

Judicialis ſive forenſis Quittantia quæ nempe in foro vel a judice robur ſuum accipit, duplex eſt. Primæ ſpeciei eſt, ſi creditor cum debitore coram judice vel magiſtratu apparet, ibidemque non tantum confitetur, ſibi a debitore ſolutum & ſatisfactum eſſe ratione ejus, cujus gratia ſibi antea debitor erat obligatus, ſed judicem quoque rogat, ut judicialem quietationem conficiat. Idque fit hanc ob cauſam, quia rite, juſte & vere cenſentur con-

Digitized by Google

fecta, quæ coram judice ſeu magiſtratu peracta ſunt, ſiquidem hujus auctoritas omnem defectum ſupplet. *l. omnem 19. C. de teſtam.* omnemque fraudis & læſionis præſumtionem excludit *cap. in præſentia 6. extr. de renunciat l. 12. C. de pactis* CARPZ. *in proceſſu tit. 14. art. 5. n. 34.* Nec datur deinde in ejusmodi apochis juratæ diffeſſionis locus, idem *art. 3. n. 48.* Eliguntur vero tales conficiendæ apochæ in cauſis communem utilitatem concernentibus, & quæ ſunt magni momenti; quippe ubi de magno agitur præjudicio, magna cautela & proviſione quoque opus eſt. BRUNNEM. *ad l. ult. C. ſi certum pet.* Et quamvis judex ille alias minime ſit competens, conventione tamen partium, ſi hunc ad actum eligitur, rejici deinde non poteſt, quod coram ipſo fuerit geſtum.

Th. XI.

Dubium eſt: an coram ſolo judice remotis ſcabinis hæc judicialis apocha poſſit perfici? Et ſtatuimus quod maxime poſſit, præprimis ſi ſit actus voluntariæ jurisdictionis atque fiat neutra parte invita: ſi enim ſemel conſenſerunt, non habent, quod poſtea objicere poſſint, cum contradicendo potuiſſent hoc impedire. GUNTZEL *ad reg. J. 142.* DYNUS *ad C. 44. de R. J. in 6.* Nec ſemper requiritur ſcabinorum præſentia & ſolennis judicii ordinatio, quoniam teſtamenti inſinuatio coram ſolo judice fieri poteſt CARPZ. *p. 3. C. 3. d. 13.* *Hartm.* PISTOR. *p. 3. q. 27.* quam aſſertionem licet ei *Sigism.* FINCKELTHUS contradicat *obſ 63.* rationibus tamen & præjudiciis optime defendit nunquam ſatis laudatus CARPZOV. *Reſp. 12. Lib. 9.* Nam judex principalior perſona eſt in exercitio Jurisdictionis juſtitiæque adminiſtratione. Ille eſt quaſi lapis angularis & fundamentum judicii, VANT *de nullit. Rubric. ex defect. Jurisdict. n. 2.* Atque ſolius judicis autoritas pro tribunali ſedentis, ceſſare facit omnem

frau-

Digitized by Google

fraudis ſuſpicionem, ob quam alios actus hominum legales nonniſi teſtibus præſentibus, aliisque obſervatis ſolennitatibus ſubſiſtunt. *Jacob.* MENOCH. *Vol. I. Conſ. 73. n. 20.*

Th. XII.

Ad perfectionem hujus apochæ anne Magiſtrale ſigillum una cum ſubſcriptione conjunctim requiratur quæri poſſet, quod utrumque adhibendum ſit, ſuadere videtur illud, duo vincula fortius ligare, quam unum *l. re conjuncti ff. de legat. 3. §. ſed hodie inſtit. de Adopt.* Nec absque ratione: ex appoſito ſigillo enim nihil doloſe & in fraudem fuisſe factum apparet, *l. 2. Cod de reb. alienis.* MENOCH *2 præſat. 57. n. 7.* ex impreſſione ſigni confirmatio inſtrumenti præſumitur. *l. 26. §. 1. ff. de pign.* Et ſubſcriptio arguit eorum, quæ in ſcriptura continentur, approbationem; Sed ſtylus cujusque curiæ hoc in caſu attendendus, nec, uno omiſſo, ſcripturæ valor ſtatim minuitur, MASCARD *concl 975.* ubi multis deducit in publicis inſtrumentis, ſi ſigillum ſit appoſitum, ſubſcriptionem non eſſe neceſſariam; quæ tamen ſi accedat, conjecturam, quod ſigillum non forſan, furtim ſit appoſitum, adimit, & quod contenta judici innotuerint. SCHURFF. *cent. 1. Conſ. 17.* CÖPPEN. *deciſ. 46. n. 43.* TUSCH. *concl 767. n. 11.*

Th. XIII.

Altera ſpecies forenſis Apochæ hæc eſt, quando hæc in privato loco equidem ſcribitur, ſcripta deinde vel ab utraque parte vel ab una tantum, judici affertur, ut, ad majorem validitatem conciliandam eam aut publico ſigillo confirmet, aut in archivum reponat. Privata hæc ſcriptura novam quaſi naturam tunc demum induit. Confirmata a judice fidem facit plenam *L. 4. §. ſi igitur C. de recept. arbit.* Ex archivo prolata ejusdem quoque eſt efficaciæ *l. 6. C. de re judic.*

Digitized by Google

Geſta, quæ ſunt in publica monumenta translata, perpetuam habent firmitatem, quoniam morte cognitoris non perit publica fides *L. 1. C. de Emac. lib.* TUSCH. *in verbo acta Jud. concl. 80.* & Apochæ ex publica arca ſive archivo depromptæ publicum habent teſtimonium *Nov. 49. c. 2.* Ad hanc ſpeciem referri poteſt quoque hic caſus: quando accepta pecunia, creditor renuit dare apocham, nec cauſam diſſenſionis ſuæ allegat, quod debitor Judicem de ſolutione certiorem reddere, ita, ut Creditorem ad ſubſcribendam apocham citet, ac ipſo emanente apocham, ſua manu conſcriptam confirmet, maxime valeat. Non obſtante; quod omnes tangit, ab omnibus eſt approbandum: Hæc enim mora creditoris facile poſſit eſſe nociva debitori, contra *l. in condemnationem 173. ſ. 2. ff. de R. J. c. mora 25. eod. in 6.* Et ſpectat hoc negotium ad magiſtratum, qui curam agit, ut pater patriæ *c. apoſtolus ſ. ſuſtinemus de cenſibus. Andr.* RAUCHBAR *l 3 q 15. Waremund ab* EHRENBERG *de ſubſid. regn. C. 6. n. 58.* ne alteri per alterum conditio iniqua inferatur, *l. 74 ff. de R. J.* Sed ſi debitor quidem ſolverit, aliud tamen quam promiſerat, & hoc facto peteret a Judice apocham, danda ne erit? quod negandum eſt maxime: quoniam aliud pro alio, invito creditore non debet ſolvi *l. 2. de reb. cred.* etiamſi melius fuerit, quia invito ad rem obligatam jus non eſt aufferendum, nec nomen in ſolutum recte datur *l. 16. C. de ſolut.* niſi fiat vel conventione, vel ex favore rei, vel ex neceſſitate, vel ob pertinaciam creditoris in quibus caſibus ſi judex æquitatem viderit, dubium non eſt, quin apocha, etiam refragante creditore, dari poſſit ZOESIUS *ad tit. de ſolut. ff. n. 17.*

Th. XIV.

De privata Apocha, quæ diſcurſus noſtri præcipuus

ſcopus

Digitized by Google

ſcopus eſt, antequam aliquid dicamus, conſiderabimus perſonas, quæ legitime ac cum effectu Apocham conficere poſſunt. Atque ita hanc conſtituimus regulam: Omnes ii, quibus jure ſolvere poſſumus, Apocham dare non prohibentur. Ubi ante omnia notandum, vocabulum ſolutionis generaliter quemvis actum ſignificare, quo debitor ab obligatione, qua creditori devinctus erat, liberatur, *l. 176. de V. S. l. 52. l. 54. de ſolut.* Proprie ac ſpecialiter accipitur pro pecuniæ vel alterius rei debitæ naturali præſtatione, *princ. inſt. q. m. toll. obl. l. 49. l. pen. de ſolut.* MOLLENBEC. *cent. 3. n. 54.*

Th. XV.

Arcentur ergo a datione Apochæ quidam NATURA, quidam LEGE, Natura arcentur vel 1) ob defectum ætatis, ut: infantes, ſeptennio minores, infantiæ proximi perfecto intellectu, & inde promanante conſenſu deſtituti *ſ. 9. J. de inutil. ſtip. l. 6 ff. de acq. hæred.* 2) Ob defectum animi, ut: furioſi, & mente capti, omni voluntate ac conſenſu privati, niſi dilucida habeant intervalla. Quibus aſſimulamus etiam ad mentis usque alienationem inebriatos *C. ſane, 7. cauſ. XV. quæſt. I. c. 14. de vita & boneſt. Cleric.* Hi quoniam neſciunt quid agant, contra ſua propria commoda facile laborare, ſibique minus recte proſpicere poſſunt. Quin vero actum illum, poſtquam exhalarunt crapulam, ac heſterni contractus jam certiores facti, ratihabitione confirmare, imo redintegrare poſſint, dubium non eſt. Furioſus vero nullum plane contractum celebrare poteſt *l. 5. de R. J.* & quamvis accidat, ut id, quod egerit, prudenti maxime conveniat, irritum tamen habetur, modo de furore liquido conſtet DECIUS *ad d. R. n. 2.* Sed objicias: in multis juris articulis furioſum cum pupillo æquiparari, ſuper ſolutionem igitur pecu-

Digitized by Google

pecuniæ Quittantiam dare penitus prohiberi non debere. Ratio vero diverſitatis eſt hæc: quod furioſi omnimode mente carent, *§. præterea Inſt. quibus non eſt permiſſ. f. t.* In pupillo vero aliquid intellectus adhuc eſt, creſcentisque judicii ſemina reperiuntur, unde, ut pro pleno repræſentetur, tutoris judicio adjuvari poteſt, quod vero penitus nullum eſt, non recipit quoque adjumentum. Non entis enim nullæ ſunt qualitates, nulla accidentia. RAMIUS *in Enchirid. Reg. Jur. l. 2. axiom. 44.* GÜNZEL. *add. R.*

Th. XVI.

LEGE quidam prohibentur, ſuſcepto debito, debitorem liberare ob malos mores & quidem PRODIGI, magiſtratus decreto tales declarati, quoniam bona diſſipando ſubſtantiam ſuam exhauriunt, nec finem expenſarum habent. *leg. I. §. I. & tr. ff. de curat. fur. & aliis*, hi ſine Tutoris auctoritate contrahendo, aliis nequidem naturaliter obligantur, & hactenus, æquiparantur furioſis *l. 6. de V. O. l. 40. de R. J. l. 70. §. 4. de fide juſſ.* alios tamen ſibi efficaciter obligant, & in hoc comparantur pupillis, ac minoribus *l. 9. §. 7. de reb. cred. l 3. C. de reſtit. in integr.* quia ſcil. ubi rem ſuam meliorem faciunt, non ſunt prodigi, *l. 3. de novat.* ſimiliter adhibito curatorum conſenſu, aut quando actio ex ipſa re venit, obligantur. *l. 51. §. I. de acquir. hæred. vid. Magnif. Dn.* STRUVE *Exerc. 16. §. 38.* Sed dicis: recipiendo debitum melior quoque redditur noſtra conditio, præſtat enim inhærere ipſa re, quam debitorem in judicium trahere; Reſpond. periculoſum hoc eſt, quoniam non præſumitur, quod ſibi bene proſpiciant: quippe qui pecuniæ nimium quantum inhiant, nomina exacte non exigunt, modo habeant, quibus in præſenti ſufficiat, futura minime reſpicientes. Pupillis quoque, quamvis pubertati proximis, absque tutoris autoritate ſolvere

Digitized by Google

vere non poſſumus. *l. 5. de ſolut.* SCHNEIDEWIN. *ad Tit. J. q. a. l. vel non ſ. nunc admonendi 2.* liberatio ergo ab iſta ſolutione, ſi quæ facta fuerit, irrita habebitur. CARPZOV. *p. 2. Conſt. 15. d. 3.*

Th. XVII.

Sed an mulieri ſolvere, & ipſa de ſolutione ſecurum quenquam reddere poſſit, diſceptatur adhuc. Jure civili vxor habebat liberam poteſtatem bona etiam immobilia donandi atque alienandi, nec requirebatur ad illud conſenſus aut præſentia mariti, *L. velles b.* & ibi BALD. *C. de revocand. donat.* FASCH. *ad* ZOBEL. *n. 22. p. 2. def. 22.* Secundum jus Saxonicum commune, quoque innuptæ fœminæ, etiam ſine curatoris authoritate ſolvi poterat; ſed nuptæ ſine tutore tuto non ſolvebatur. PINGENZER *q. 33. n. 11. Magnif.* STRUVE *Exerc. 47. d. 72.* In foro electorali Saxonico, etiam diſtrahendo contractum, mulier conſenſu curatoris opus habet, quare nec ſuper receptione pecuniæ, & debiti ſolutione conſenſu curatoris, quietationem facere poteſt. *Daniel.* MÖLLER. *ad Conſtit. Elect. 15. n. 52.* Atque ita breviter tractavimus, ubi cautione ſit opus apocham petentibus.

Th. XVIII.

Tuto ſolvimus, atque eo ſoluto quod debemus, jure licet poſcere Apocham (1) ab ipſo creditore, cui nempe debetur, & cui diſtrahendi obligationem licentia eſt, ZOES. *ad tit. de ſolut. n. 6.* quamvis creditor ille ſit criminis poſtulatus, *l. 45. ſ. 1. ff. de ſolut. l. 46. ſ. 6. de jure fiſci,* excepto tamen eo, qui conſcientia ſceleris profugerit. *l. 5. C. de requir. Reis & Reo Majeſtatis l. ult. C. ad l. Jul. Majeſt. Magnif.* STRUVE *Exerc. 47. ſ. 71.* (2) Ab alio utpote procuratore & actore, *l. 12. l. 49. de ſolut.* (3) Ab eo qui ſolutionis cauſa in contractu adjectus eſt *l. 10. d. t.* BRONCHORST. *cent. 4. aſſ. 64.* etiamſi

pupillus ſit, in cujus manu pecunia minime tuta eſt: nam ſtipulatori imputandum, quod hujusmodi perſonam ſtipulationi adjecerit ZOES. *d.t.n.12.* (4) Ab eo, qui juris authoritate pro creditore habetur, ut tutor & curator, quo referri etiam poſſunt omnes officiales, Exactores tam tributi, cenſus, & vectigalium, quam ærarii præfectus. *l.46.§.5. de admin. & peric. tut. l.49. de ſolut.* LUDW. *Diſput.14 th.7.lit.C. add.* WESEMB. *Par. de ſolut. n.4.* (5) Nobis quoque ſatis tutos reddunt filii familias de peculio ſuo agente, nec non ſervi, qui mutuis dandis exigendisque pecuniis præponi ſolent. *l.7. §.1. ff. quibus mod. pign.* vel liberam adminiſtrationem habent, *l.49. de ſolut. & ſeqq. de jurejur. l.41. ſi cert. pet. L.26. §.9. de condict. indebit.* TREUTL. *vol. 2. diſp. 29. Theſ. 2. lit. f.*

Th. XIX.

Apocha, qua creditoris inſultus debitor poteſt excipere, conſcribi poteſt, vel a manu DEBITORIS, vel CREDITORIS vel TERTII cujusdam. NICOL. *de Paſſerib. l.2 qu 8.* Non levem parit ſuſpicionem, quod aliquis conficit, quo ſuum quærit commodum, liberationemque petit: Præſumitur enim quilibet ſibi proſpicere, ac propterea in propria cauſa teſtimonium ferre nemo admittitur, *l. omnibus C. de teſtib.* Nihilominus tamen proſcribente facit Quittantia, ſi trium teſtium ſignis eſt roborata, *l. ſcripturas C. qui potior. in pign. hab.* & ſi agatur cum imperito litterarum quinque teſtes deſiderantur, ſi præprimis libram auri contractus excedit. *Nov.73. §. oportet.* ZOES. *in commentar. ad ff. de fid. inſtrum. n.7.* In foro noſtro probat ſcriptura pro ſcribente, ſi 1) pars adverſa ſcripturam illam tacite acceptet, MOLLER. *lib. 4. ſemeſt. 44. n. 2.* 2) Si partes convenerint, ut ſcriptura etiam pro ſcribente probat, HEIG. *p. 2. qu. 3. n. 15.* Atque id

non

Digitized by Google

non ex eo, quaſi partes tantam poteſtatem adſcribere poſſint ſcripturæ privatæ; ſed ob conventionem CARPZ. *in proceſſ. tit. 14. a. 5. n. 12.*

Th. XX.

Sed anne privata Apocha quæ non ſubſcriptionem teſtium vel partium habet; ſed tantum juvatur depoſitione duorum vel trium teſtium inſcriptorum, vel tantum nominatorum, qui duntaxat deponunt, ſe præſentes extitiſſe apochæ confectioni, non vero ſolutioni, plenam probationem inducat, hinc & inde controvertitur. Ad affirmativam inclinant MENOCH. *de arbit. caſ. 114. n. 19.* & *Andr.* FASCHIN. *lib. I. jur. controv. c. 30.* Negativam tamen cum BARTOLO *in auth. de inſtrum. Caut.* amplectimur, quoniam teſtes maxime decipi poſſunt, dum non adſunt propriæ ipſorum ſubſcriptiones, ex quibus antecedentium notitia præſumitur. *Nicol.* JANUENS. *lib. 2. qu. 8. n. 156.* & quamvis veriſſimum ſit, quod viderint apocham conficare, certi tamen eſſe nequeunt, quod illa apocha ſit eadem, de qua contenditur, & propterea in ejus recognitione facile poſſunt errare. Quod ſi vero ſoluta jam pecunia Quittantia conficiatur a Debitore, ac creditori ad ſubſcribendum mittatur, etiamſi teſtes non adfuerint, ſufficiens robur ex ſubſcriptione creditoris accipiet. In iſtis enim ſcripturis, quæ a parte dantur parti, conſenſus utriusque plenus eſt, & in liberationem debitoris, quia non contradixerit, conſenſiſſe præſumitur creditor. MASCARD. *concluſ. 342. n. 117.* NICOL. *de* PASS. *lib. I. q. 3. n. 224.*

Th. XXI.

Longe ſecuriores reddit debitores Quittantia ipſius CREDITORIS manu confecta, quia ſcriptura contra ipſum ſcribentem, ac in ejus præjudicium plenam probationem inducit, *in l. publ. ff. fin. depoſiti in l. cum taberna ff. de pign. l 31 ff.*

Digitized by Google

de conſtit. pecun. DECIUS *conſ. 30. n. 22. vol. 1.* Si nempe de jure hodierno recognitio accedat, CARPZ. *lib. 3. tit. 8. reſp. 79.* Nec ſemper requiritur ſubſcriptio, modo ſigillum ſit appoſitum. *Dan.* MÖLLER. *lib. 4. ſemeſtr. 43. Joh.* KÖPPEN *dec. 46. n. 41. Matth.* BERLICH. *part. I. concl. 36. n. 45.* Sigilla enim contrahentium arguunt perfectionem contractus in ſcriptura contenti, *Hartm.* PISTOR. *p. 3 qu 37. n. 8.* & apponens ſigilla, cenſetur conſentire in contenta, DECIUS *in Cap. 2. X. de fide inſtrum. n. 31. & 64.* Quamvis etiam creditor integram Apocham ſua manu non ſcripſerit, modo eam ſubſcribat, aut ſua manu ſcriptam eſſe agnoſcat: videtur enim mea manu ſcriptum, quod ex voluntate ſubſcriptum eſt, *l. 15. ſ. item ſenatus ff. ad l. Corn. de falſ.* nec auditur, etiamſi contentorum ignorantiam allegare vellet, ſibi enim, quod tam negligens fuerit, imputet. MASCARD. *concl. 347.* Sed ſi creditor ob defectum chartæ, vel alterius materiæ, in quam conjicere poſſet apocham, vel ob indigentiam hominum, qui ſolutioni præſentes eſſe queant, debitorem ſuum de ſoluto debito vere liberare vellet, ſufficeret ne etiam poſt ſolutam pecuniam rogare teſtes, & iis, præſentibus, ſolutionem factam eſſe confiteri? & ſufficere aſſerit *Conr.* RITTERSHUSIUS *ad Nov. 90. n. 10.* quoniam audiverunt confitentem creditorem, quam confeſſionem ſi in ſcripturam redigi curet debitor, ſolutionem ſuam optime probare poteſt.

Th. XXII.

A tertio quodam confici poſſe Apocham, ſupra diximus, quæ, quamvis a partibus ſit ſolum ſubſcripta, nullo teſtium adminiculo corroborata, attamen plenam probationem inducit *l. 11. Cod. qui pot. in pign.* SCACCIA *de Jud. lib. 2. c. 11. n. 1082.* quoniam ſubſcribens ſcriptorum contenta intelligitur agnoſcere & probare, *Joh.* KÖPPEN *deciſ. 46. n. 41.* Nec minorem pro-

probationem habet apocha, a tertio quodam ſcripta, & utriusque partis mandato ab ipſo ſubſcripta. Non obſtante illo ſtatuto, quod ſcripturæ tertii minime fides adhibeatur, CRAVETTA *Conſ. 73. n. 1.* paria enim ſunt ſcripturam fuiſſe, a partibus conſcriptam, vel a tertio de voluntate & mandato ipſarum partium. *l. 56. & 64. ff. de ſolut. l. 180. ff. de R. J.* GÜNZEL *ad d. l.* *Nicol. de* PASSER. *lib. 2. q. 18.* Minime vero valebit Apocha conſcripta a tertio quodam juſſu debitoris certo affirmantis, pecuniam fuiſſe ſolutam, etiamſi teſtes præſentes fuerint ſcriptioni apochæ, quoniam hoc in loco præjudicium tertii maxime verſatur, nec teſtes ſolutioni, in quibus tota vis probationis conſiſtit, interfuerunt.

Th. XXIII.

Ut ad omnem contractum celebrandum maxime requiritur conſenſus, quippe qui negotiorum anima eſt *L. I. §. 3. ff. de Pactis*, ita in ejus diſſolutione abeſſe minime poteſt, *l. 8. l. 18. ff. de aqua, & acq. pluv. arc.* Non obſtante, quod invito creditore, ut modo dictum, apocham conficere liceat; fit enim illud modo plane extraordinario ob moram, abſentiam, vel malitiam creditoris. Ad apocham igitur, tanquam FORMA, maxime requiritur conſenſus, & quam primum facta eſt ſolutio, quæ GENERALITER quemvis actum ſignificat, quo debitor ab obligatione liberatur; qua creditori devinctus erat, *l. 176. de V. S. l. 52. l. 45. de ſolut.* ſive illud fiat COMPENSATIONE *l. 4. l. 10. l. 21. de compenſ. l. 4. qui potior. in pign.* VEL CESSIONE *l. 33. §. 3. de Uſucapione.* Vel ACCEPTILATIONE *§. I. inſtit. quibus mod. toll. obl.* SPECIALITER & PROPRIE vero ſignificat præſtationem realem pecuniæ vel alterius rei debitæ *p. inſt. q. m. toll. obl. l. 49 l. pen. de ſolut.* quam primum, inquam, contentus factus eſt creditor, declarandus eſt ejus conſenſus, de debitoris libera-

beratione. Et nihil intereſt, an illud fiat tantum ſubſcriptione an totius ſcripturæ confectione, an vero utrumque concurrat. Scriptura nuda etiamſi ſubſcriptio non inſequatur, probat conſenſum *l. 28. in fin. ff. depoſ. l. 26. ſ. 1. in fin. ff. de pign. arg. l. 28. C. de teſtam.* Paria quoque ſunt hoc caſu ſcribere & ſubſcribere *Magnif. Dn.* RICHTER. *p. I. dec. 29. num. 14.*

Th. XXIV.

Conſenſus liberationis colligi quoque poteſt, ex SUPRASCRIPTIONE, quæ totum actum ad ſe trahit, ac idem operatur, quod ſubſcriptio. BART. *ad l. 6. ſ 6. n. 35. ff. de edend.* ſufficiunt quoque hæc generalia: Ich bekenne wie unten, quoniam ſupra ſcribens etiam contentorum notitiam habere præſumitur. BESOLD. *Theſ. pract. ad verb.* Hand, Unterſchrifft. Frequentiſſime tamen hodie habetur in apochis ſubſcriptio, atque illud eſt tutiſſimum, quia contenta omnia præſcripta confirmare & approbare intelligitur *Magnif. Dn.* RICHTER. *d. l.* BRUNNEMANN. *ad l. 2. C. de reb. alienis.* Si vero hæc deſideratur, ſupplere poteſt eam ſigillum MASC. *de probat. Concl. 49. n. 2.* Et ſufficit etiam hoc in loco ſigillum absque ſubſcriptione. CARPZ. *in proc. Tit 14. a. 2. n. 28.* Item *in Jurisprud. for. p. I. c. 17. d. 21. n. 3.* alias, & quidem in mandato ſubſcriptio maxime urgetur, ſublata conſuetudine, ſecundum quam ſigillum ſolum mandato appoſitum ſufficiens erat. *Magnif.* ac *Nobiliſſimus Dn.* PRÆSES, Patronus, ac ſtudiorum meorum promotor honoratiſſimus in notis ad proceſſum Elect. Saxon. privatim communicatis.

Th. XXV.

Conſenſus, qui decenti modo ita intervenit, ſcribitur, vel in chartis, vel in membranis, vel in quacunque materia, ad præſentandam ſcriptionem habili, *arg. l. 1. pr. ff. de bon. poſſ.*

poſſ ſecundum tabb. l. 25. C. de Donat. In camera tamen pergamenum, neceſſario requiritur, *ex Conſt. Maxim. I. de anno 1512 ſ.* und nachdem ꝛc. MYNSINGER *1. obſ. 80.* Et materia illa in quam conjicienda eſt ſcriptura ſit munda. *l. 17. C. de fid. inſtr.* UMMIUS *Diſp. 17. n. 13.* Nec interſcripta ſit alterius cujuſpiam litteris *arg. nov. 18. C. 7.* ubi vero ſubſtantialem, non accidentalem varietatem volo. Uſitatæ ſint litteræ, quia, quæ ita ſcriptæ, ut intelligi vix poſſint, pro non ſcriptis habentur, *l 2 ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur.* Poſtea NOMEN, tam debitoris, quam creditoris clare debet exprimi. *l. 25. de donat. Dn.* BRUNNEM. *ad d. l.* Non ſolum APPELLATIVUM, quoniam ex eo certitudo perſonæ non ſemper apparet, uti patet *ex l. 2. ff. de liber. & poſthum.* verum etiam PROPRIUM nomen, licet multiplex *arg. l. 14. ff. de fideicomm. libert.* quin imo ſpeciale nomen addendum eſt, cum omnibus indiciis, multæ nempe ambiguitates & dubia, ob nomina ſuboriri ſolent. *l. 30. ff. de teſtam. Tut.* Certa quoque QUANTITAS eſt determinanda, *l. 6. pr. ff. de R. V. l. 24. l. 26. ſ. 1. l. 28. ff. depoſ. l. 25. C. de Donat.* Nam ſi in apocha integra pecuniæ ſumma expreſſa non eſt, debitor minime ſecurus eſſe poteſt, quoniam partiales quoque dantur apochæ. Et ut tamdiu opponi poteſt Executioni, quod debitum non ſit liquidum, ita exceptioni, qua debitor compellationi creditoris occurrere ſatagit, opponere poſſumus, quod certa ſoluti quantitas non fuerit expreſſa; JASON. *in pr. ſupereſt n. 86. Inſt. de act.* CARPZ *part. 1. C. 17. d. 39.*

Th. XXVI.

Contineatur quoque in Apocha CAUSA ſive TITULUS *l. 26. ſ. 1. ff. depoſiti l. 25. ſ. fin ff. de probat. l. 13. C. de non num. pec.* Non obſtante quod ZOESIUS *ad tit. ff. de fide inſtr.* ſtatuat. liberatoriam confeſſionem ſine cauſa valere, Locum,

id

id tantum habet in iis contractibus, qui in ſcripturam non ſunt redacti. Nam ſicut nuda ratio non facit debitorem *l. 9 ſ. fin. ff. de pecul.* & inſtrumentum debiti non probat, niſi etiam de cauſa debiti inde appareat, *c. ſi cautio extr. de fide inſtrum.* ut porro inſtrumentum obligationis non eſt validum, & ad probandam intentionem utile, ſi cauſa debendi non additur. *Magnif. Dn.* SCHRÖTER P. P. *in celeberrima Salana, & quondam præceptor meus fideliſſimus Diſſ. 14. aph. 67. ſub f.* Ita minime ſe tueri poterit debitor ea Apocha quæ cauſam & titulum in ſe non continet, ſed creditor eam facile poteſt arguere fraudis. Ne tamen cautio illa plane invalidetur, ſufficere putant Dd. ſi de cauſa illa modo per conjecturas conſtare poſſit, utpote ſi in liberatione fiat mentio ſolutæ pecuniæ debitori quondam creditæ MASCARD. *de probat. Concluſ. 345. n. 57. Hartm.* PISTORIS *obſ. 39.* CARPZ. *p. 1. C. 17. d. 39.*

Th. XXVII.

Quoniam inhoneſta, atque ea, quæ pietatem lædunt, quæque contra bonos mores ſunt, nec in pactum nec in ſtipulationem deduci poſſunt *l. 4. C. de inutil. ſtipulat.* ZASIUS *in l. 26 ff. de V. O.* ſponte fluit ex eo, qualis cauſa debeat eſſe. His ergo ita poſitis, ſatis tutum ſe poterit reddere debitor, ſi quittantiam hoc modo ſcribat: Ego Titius profiteor P. Mevium mihi ſolviſſe decem, quæ debuit mihi ex teſtamento Seji, Lutetiæ Pariſiorum. CUJAC. *lib. 18. c. 2. obſ. 22.* Sed deſiderabit hic aliquis dici adjectionem? hæc de neceſſitate non eſt: quoniam in privata ſcriptura ſolennis forma non requiritur. *Magnif.* STRUVE *Exerc. 28. th. 27.* nec ob defectum ſolennitatum impugnari poſſe ſcripturam, putat VMMIUS *Diſp. 17. n. 22.* Quod vero ad evitandas varias contentiones adjectio temporis admodum utilis ſit, nemo ibit infi-

cias.

cias. Nam ſi ex die apparet, quod debitor eo tempore ſolverit, quo creditori bonis interdictum fuit, pecuniam non fecit accipientis, atque ita a fiſco, vel hæredibus creditoris conveniri poteſt.

Th. XXVIII.

Teſtium ſubſcriptionem quod attinet, illa de apochæ eſſentia neutiquam eſt, quia ſatis probat privata ſcriptura contra ſcribentem. HUNN. *Encycl. p. 2. tom. 18. c. 4. Magnif.* STRUVE *d. l. theſ. 24.* ob utilitatem vero minime negligenda eſt, quoniam debitorem in probatione ſolutionis non parum adjuvant, & iis adhibetur, quoque fides: quippe, qui nullum exinde ſperant commodum, nec æternæ beatitudinis præſumuntur immemores. Quales autem debeant eſſe teſtes, nobis etiam tacentibus, docet *l. 5. C. de teſtibus*, cui ſi adjunges celeberrimi Juriſconſulti BRUNNEMANNI explicationem, non habebis, quod deſideres. Sed an is, qui a partibus ad conſcribendam apocham eſt vocatus, teſtis eſſe poſſit, quæritur? Id quod affirmo, ſi ad id ſpecialiter nempe ſit rogatus, *arg. l. 27. ff. de teſtam. author. rogati C. de teſtibus.* Facta ſolutione reddenda eſt etiam debitori obligatio, (die Schuld-Verſchreibung) quamvis jam habeat quietationem, ad utrumque enim tenetur Creditor. BRUNNEM. *ad l. fin. C. de ſolut.* Nam ſi remanet penes creditorem, poſſet iterum ipſe, vel ejus hæredes vigore inſtrumenti debitorem ad ſolvendum, amiſſa ſcil. facultate probandi ſolutionem, ſeu liberationem cogere. *Modeſt.* PISTORIS *Conſ. 27. q. 2. n. 58.*

Th. XXXI.

De EFFECTU apochæ, antequam aliquid dicatur, notandum eſt, quod probatio, cujus finis ea eſt, ſit vel PLENA, vel MINUS PLENA. Plena tantam fidem facit judici, quanta ad finiendam controverſiam ſufficit. Minus plena,

Digitized by Google

eſt illa, per quam rei geſtæ aliqua fides fit judici, non vero tanta, ut jure poſſit ſequi eam in ſententia dicenda, itaque jure jurando eſt ſupplenda. Ejus ſpecies *vid. apud Magnif. Dn.* HAHNIUM *ad Weſenb. parat. n. 4. de probat.* Quod itaque attinet publicam Apocham, hæc ſi ſolenniter facta & data, ſupponit realem ſolutionem, & rationum diſcuſſionem præceſſiſſe, cum non prius ſolventi detur, quam relata deſcriptaque ſit in rationum publicarum libris; facit ergo plenam fidem. PEREZ. & BRUNNEM. *ad l. 2. C. de Apocbis publ.* FELINUS *in cap. cum cauſam 13. extr. de probat. n. 7.*

Th. XXX.

Quaſi publica, nec non forenſis, & quæ ex archivo eſt deprompta, ſi modo inſtrumenti nomine veniat, paratam habet executionem, VMMIUS *ad Proceſſ. Diſp. 17. n. 22. Matth.* BERLICH. *p. 2. Dec. 284.* Adeo, ut ſi ſcribens Judici recognitionem imponenti non pareat, pro confeſſis & recognitis haberi debeant. *Andr.* GAIL. *lib. 1. obſ. 80. n. 6. Joh.* KÖPPEN. *Deciſ. 46. n 33. Matth.* COLER. *de proceſſ. Execut. p 3. c. 1 n. 101.* Churfürſtl. Sächſiſche Proceß-Ordnung *tit. 25 ſ.* Weil es auch. BERLICH. *d. Deciſ. 284. n. 28.* Nec de jure civili recognitione opus habent, *auth. ſi quis vult. caute C. qui potior. in pign.* quod tamen hodie mutatum. BERLICH. *part. 1. Concluſ. 44. num. 31.*

Th. XXXI.

Mere privata Apocha conſiderari poteſt, vel ut non RECOGNITA & non verificata, vel ut RECOGNITA & verificata. Apocha non recognita nullam facit probationem, ne ſemiplenam quidem. GRAVETTA *de antiqu. tempor. ſ. viſ. n. 6.* CARPZ. *p. 1. c. 17. d. 12. n. 1.* Inſtrumentum enim de cujus fide diſputatur, ac non plene conſtat, plenam fidem non facit *c. 2. extr. de fid. inſtrum. l. 13. l. 14. C. de probat.* Niſi 1) ſuper-

perveniat illud, quod ipſam quaſi publicam efficiat, ut Archivum. CARPZ. *p. I. c. 17. d. 38. n. 3.* & alia. 2) Niſi conſuetudine comprobatum ſit, ut chirographo non recognito habenda ſit fides, quæ enim vetus conſuetudo probat, tolerabilia ſunt *l. 13. in fin. ff. de pollicit.* Non autem probat Apocha, ſi partes inter ſe convenerint, ut etiam eadem non recognita, ſtetur. Quoniam privata plenam fidem non facit, nec licet pactis privatis publicas conſtitutiones immutare, *l. 38. ff. de pact. l. 45. ff. de R. J.* Idque optimo jure ſic obtinet, poſſent enim fictitiæ forſan ſcriptiones, & adulterina ſigilla ſupponi, quibus præcavendis apochæ productæ recognoſci debent. Quomodo autem hæc recognitio fieri debeat, vid. fuſe BERLICH. *p. 1. Concluſ. 84. n. 97. & ſeqq.* COLER. *de Proceſſ. Exec. p. 3. c. 1. n. 124. & ſeqq.*

Th. XXXII.

VERIFICATIO Apochæ eſt per legitimos modos probatio, quando nempe de veritate ejus dubitatur. Hæc fit vel per TERTIUM, vel per TESTES, vel COMPARATIONEM litterarum. Per TERTIUM ſcil. ſcribentem ſi nempe recognoſcat ſcripturam, & confiteatur, cujus mandato ſcripſerit. Scripturæ enim ſi res poſtulat, per ipſum authorem probari debent, *l. 21. C. de fid. Inſtrum.* Et ut inſtrumentum publicum per Notarium, vel Tabellionem verificatur, ſic non obſtabit, quo minus inſtrumentum privatum per ſcriptorem approbari poſſit, cui accedere quoque poteſt ADNUMERATOR, qui mandato alterius creditori ſolutionem fecit, per TESTES quoque juſtificari poteſt, qui aut ſubſcripti ſunt, aut non. Qui non ſubſcripti ſunt quietationem probabunt, ſi dixerint: Cognitam eſſe manum creditoris, & ſcripturam per omnia eſſe ſimilem ſcripturæ ejus. Subſcripti magnam fidem faciunt, præprimis ſi tres ſint. In-

Digitized by Google

ſtrumentum enim privatum tribus ſubſcriptum teſtibus, privilegiis inſtrumenti publici gaudet. *l. 11. C. qui pot. in pign.* & BRVNNEM. *ad d. l. Nov. 117. C. 2. C. 15. c. 16. quæſt. 3. extr. de teſt.* Et has ſcriptiones, una cum ſigillis, ſi quædam appoſita fuerint, mediante juramento recognoſcere compelluntur, quia in teſtium jure jurando vis, & poteſtas atteſtationum conſiſtit, *l. 9. C. de teſt.* CARPZOV. in eod. plane caſu. *p. I. C. 17. d. 12.* Verificatur quoque apocha per COMPARATIONEM LITTERARUM *l. 20. C. de fid. inſtrum.* quæ fit per inſtitutam ſcripturarum collationem, qua ex una ſcriptura vera, & probata, ob ſimilitudinem litterarum arguitur de veritate ſcripturæ controverſæ VMM. *Diſput. 17. n. 27.* illa ſcriptura vero neceſſe eſt, ut a teſtibus ſit ſubſcripta, vel ex archivo publico producta, KÖPPEN. *deciſ. 46. n. 37.* cætera requiſita, vid. ap. CARPZ. *lib. 3. tit. 8. Reſp. 84.* & BRVNNEM. *ad l. 20. auth. ad hac C. de fid. inſtrum.* Non obſtante auctoritate CVJACII *in Nov. 49. n. 12. lit. e.* qui eandem, quæ comparanda eſt, teſtium ſubſcriptionem, quoque requirit. Ita enim ſi illa ſe habeat ſuo valore, non adhibita prius comparatione, probaret *l. 11. C. qui pot. in pign.*

Th. XXXIII.

Sed hæc de authentico, ſive exemplari, von dem Original- oder Haupt-Quittung. Hoc ſi forſan eſſet omiſſum, exemplis (Copeyen oder transſumtis) minime probare licet, *p. text. in c. 1. extr. de fid. inſtrum. l. 2. ff. eod. tit. authent. ſi quis in aliquo documento C. de edend.* ſiquidem Copia inſtrumenti, absque originali ſuſpicionem falſi parit COLER. *p. 3. C. 1. n. 49.* Imo ne quidem ſummus princeps exemplis, ſeu transſumtis fidem adhibere poteſt, VMMIVS *Diſput. 17. n. 38.* Quæ concluſio aliquot limitationes tamen patitur, & creditur non raro exemplis etiam nondum viſo protocollo, nec originali

nali (1) quando exemplum inter acta Judicii & proceſſus ab ipſo originali apud Judicem producto reperitur MYNSING. *Cent. 6. obſ. 75. num. 1.* CARPZOV. *p. 1. C. 1. def. 38.* (2) Si ex archivo depromatur *Nov. 49. c. 2.* BORNIT. *de fid. inſtrum. lib. 3. c. 3.* cui contradicit *Magnif. Dominus* STRUVE *Exerc. 28. th 31.* ſtatuens, non ſufficere exemplum in archivo reconditum: Solam enim cuſtodiam vel locum nihil conferre ad fidem faciendam. Sed puto novum intelligi hoc loco exemplum, charta minime inſuta conſcriptum. CARPZOVIUS vero intelligit antiquam atque eo caſu præprimis, quo veritas aliter haberi non poteſt; & petens a limine judicii alias eſſet excludendus. (3) Hoc loco probat, quando ſcilicet ex tabellionis protocollo, in quod ſolitus eſt ruditer conjicere inſtrumenta, ipſo forſan mortuo, aut abſente, tenor inſtrumenti ſecundum requiſita a MYNSING. *d. obſerv.* enarrata deſcriptus eſt, quoniam magna fides adhibetur protocollo. CARPZ. *d. l. def. 4.* (4) Si exemplum authoritate judicis utraque citata parte factum ſit. BRUNNEM. *ad l. 7. C. de edend.* UMM. *diſp. 17. n. 38.*

Th. XXXIV.

Dictum eſt ſuperius: Inſtrumentum liquidum publicum, quin etiam privatum habere hodie paratam executionem, idque atteſtantibus CARPZ *p. 1. c. 17. d. 32.* COLER. *de proceſſ. Execut p. 2. c. 3. Magnif.* STRUVE *Exerc. 28. th. 30.* Id quod tamen ita intelligendum; ut RECOGNITIO ſemper præcedat, non obſtante quod in judicio ſummariiſſimo nullo juris ordine ſervato, & ſummarie tantum procedatur, GAIL. *l. 1. obſ. 7. n. 5.* & quod probationes a judice tantum ex officio, ad ipſius informationem meliorem recipiantur, ergo quales quales ſufficiant BRÜCKMANN. *Vol. 1. Conſ. 23. n. 19. Mod.*

 PISTOR.

Digitized by Google

PISTOR. *Vol. I. Conſ. 51. num. 16.* Nam informatio Judicis ex documentis, non excludit eorum recognitionem, ſicut etiam informatio judicis ex depoſitione teſtium, non excludit eorum juramentum, ac proinde ut teſtis abſque juramento legitime non probat, ita nec inſtrumentum abſque recognitione legitimam facit fidem. FINCKELTHUS. *obſ. 117.*

Th. XXXV.

Et quanquam nec in jure civili nec foro imperii nec in generali terra Saxonico uſu recepta ſit, MILANUS *deciſ. 8. n. 238.* In foro tamen electorali adeo eſt neceſſaria, ut quantumvis a partibus ei ſit renunciatum, omitti tamen minime poſſit. CARPZ. *in proceſſ. tit. 14. art. 2.* Nec moratur hanc concluſionem COLERI aſſertio *p. 3. cap. 1. n. 137.* dum ſcribit: Si fuerit conventum inter partes, ut ſcripturæ plena fides adhibeatur, etiam privatæ non recognitæ omiſſa, recognitione, in cauſa ulterius ad ſententiam, & executionem procedendam eſſe. Periculoſa enim eſt hæc aſſertio, quia ſigilla adulterina fictitiæque ſubſcriptiones alterius nomine ſupponi poſſunt. BARTOL. *in l. 6. ſcripturas 11. C. qui pot. in pign.* optima ergo nititur ratione hæc conſuetudo Saxonica, quod quilibet ſcripturam contra ſe productam, abſque juramento recognoſcere, vel mediante Jurejurando diffiteri teneatur. *Ord. proceſſ. jud. Elect. Saxon. tit. 25.* Etſi negaverit Inſtrumentum, contra ſe productum, negativa illa aſſertio juramento confirmetur *Dan.* MÖLLER. *lib. 4. ſemeſtr. 43. n. 2.* Videtur inſuper hoc durum, quod recognitio præſtanda ſit, ſi alterius manus, alienaque ſcriptura producatur, cum tamen *auth. contra qui propriam C. de non numerata pecun.* tantum de ſcriptura propria loquatur. Obtinuit tamen uſu, ut ad petitionem actoris, Reo paſſim injungatur recognitio ſcripturæ,

Digitized by Google

pturæ, etiam alienæ, modo veriſimiliter appareat, ipſum notitiam ejus habere poſſe. *Hartm.* PISTOR. *obſ.169.* BURSAT. *Conſ.93. n.23.* Ampliatur hæc concluſio quoque adeo, ut quamvis cum litterarum imperito nobis ſit negotium, maxime tamen neceſſaria ſit recognitio, ubi ſufficit, ſi, ſcripturæ tenorē percepto, illam de ſua voluntate confectam eſſe, aſſerat. Ejusmodi enim recognitio eſt inſtar confeſſionis, quam ſequitur condemnatio *l. poſt rem 56 ff. de re jud.* COLERUS *de proceſſ. execut. p. 1. c. 3. n. 99.*

Th. XXXVI.

Quod hactenus de valore & efficacia apochæ dictum eſt, non ea ratione intelligimus, quaſi debitor, ſi eam accepiſſet quaſi in utramvis aurem dormire poſſet, certo perſuaſus nullo modo fidem ejus poſſe infringi. Tantum enim abeſt ut ejusmodi valoris ſit, ut potius exceptiones, eæque non paucæ reperiantur, quibus eam annihilare poſſumus. Ne vero crambem reponamus bis coctam, quoniam de publica apocha jam multum dictum eſt in antecedentibus, locuturi ſumus tantum in hac theſi de privata. Cui opponi poſſunt, præcipue quatuor: 1) exceptio non numeratæ pecuniæ 2) quod ſit raſa, atque cancellata, 3) quod falſitatis argui poſſit per alia inſtrumenta 4) quod teſtibus contrarium plane deponentibus, fides ejus infringi poſſit.

Th. XXXVII.

Exceptionem non numeratæ pecuniæ duplicem eſſe, patet ex ZANGERO *part. 3. c. 14.* Prima competit debitori adverſus creditorem, quando Chirographum datum eſt ſpe futuræ numerationis, nihil autem ſolutum, quæ regulariter biennium durat *l. 14. in contractibus C. de non numer. pecun.* Niſi onus probandi debitor in ſe recipere velit, quo caſu etiam

iam poſt illud tempus audiendus eſt, CARPZ *p. 1. C. 32. def. 66.* ſecunda ſpecies, quæ hujus loci præcipue conſideranda venit, datur creditori adverſus debitorem, ita tamen, ut non biennium integrum, ſed XXX. dies ad eam opponendam, indulgeantur, *d. l. in contractibus 14. ſ. ſuper cæteris 2. ibique* BRUNNEM *C. de non num. pec.* Non enim tanta eſt aviditas Creditoris pecuniam ſuam recipiendi, quanta debitoris mutuum anhelantis. *Jo.* HARPRECHT. *ad tit. de verb. oblig. n. 58.* ZANGER *de except. p. 3 c. 14. n. 25.* Ideoque etiam ſpatio 30. dierum elapſo, creditor hanc exceptionem in tantum amittit, ut omnino cautione ſua ſtare cogatur, nec amplius audiatur, etiamſi onus probandi, pecuniam ſolutam non eſſe, in ſe recipere velit *d. l. 14. ſ. 2. ibique* SICHARD. *n. 5.* ZANGER. *d. l. n. 30. & 31.* PEREZ. *in Cod. h. tit. n. 4.* Eaque eſt Dd. communis ſententia, a qua, ex liberationis favore, non recedendum. Dn. CARPZ. *p. 2. c. 29. def. 19. l. 2. Reſp. 90. n. 12. in Proceſſ. tit. 22. art. 3. n. 54. Excell.* Dn. PHILIPPI *in uſu pract. inſt. lib. 3. Ecl. 67.*

Th. XXXVIII.

Sed ſi creditor negaret, hanc apocham concernere totam ſummam, ſed tantum partialem eſſe ex ſua intentione: ſe chartam blancam (ein Blanquett) dediſſe quidem, ſed in abſentia ſua fuiſſe factam extenſionem, conſenſum ergo deficere, poteritne liberationem illam infringere? Et videtur quod ſic: (1) quia ignorans & non conſentiens extenſioni inſtrumenti non obligatur; *l. filius fam. 8. ſ. 1 ff. de procur. l. diſtrahente 2. C. de reb. alien. non alienand.* ibique BRUNNEM. (2) non obligatur inſtrumentum ſubſcribens & non relegens *l. 3. ff. de Reſc. Vend. l. ſi falſum 5. C. plus valere quod agit*, ibique BRUNNEM. *Matth.* BERLICH. *p. 1. concl 44. n. 11.* Negativa tamen aſſertio firmiori ſtat talo, præſumtio enim militat

contra

Digitized by Google

contra ſcribentem, vel ſigillantem, quod inſtrumenti tenorem cognoverit, atque ita approbaverit, *arg. l. 2. ſ. inſpectio 5. ff. de Teſtam. quemadmod. aper Dn. D.* PHILIPPI *in uſu pract. inſtit. lib. 3. Eclog. 56.* Ignorantia quoque, quam creditor hoc loco allegat, eſt nimis craſſa & ſupina, quæ minime excuſat, cum ea omnia ſcire potuiſſet, GAIL. *lib. 2. obſerv. 48.* FINCKELTHVS. *obſ. 6. n. 14.* Statur ergo inſtrumento, donec legitime probetur contrarium.

Th. XXXIX.

Refutatur quoque una Apocha per aliam: quod fit ſi privata & publica ſimul proferantur, & eo caſu prævalet publica privatæ, quia potior. *l. cenſus ff. de teſtib.* ZOESIVS *ad Tit. de ſolut. ff. n. 13.* Niſi ſuper privata confectum inſtrumentum, atque a tribus teſtibus illud ſubſcriptum fuerit, eo enim caſu æquiparatur publicæ Quittantiæ. GABRIEL. *de Probat. Concluſ. 11.* BRVNNEM. *ad l. 11. C. qui potior. in pignor.* Conſideratis tamen circumſtantiis, cui major habenda ſit fides, videbit Judex: Et ſi inſtrumenta unius authoritatis publicæ nempe, vel privatæ, proferantur, quæ invicem adeo ſunt contraria, ut conciliationem minime patiantur, indiſtincte ſunt rejicienda *l. 14. C. de fid. inſtrum.* BORNIT. *de inſtrum. l. 2. c. 5.* Si duo quoque reperiantur, quorum unum totalem, alterum partialem continet liberationem, fortiter colligendum, primam Quittantiam ſpe ſaltem futuræ numerationis fuiſſe elicitam, atque ita per poſterius inſtrumentum annihilari. SALYCET *ad l. 2. C. de non num. pecun. Hartm.* PISTOR. *p. 4. q. 12. n. 15.* CARPZ. *p. 1. C. 32. d. 67.*

Th. XL.

Imminuitur porro fides Apochæ per Teſtes, quando iis creditor demonſtrat, illud minime fuiſſe ſolutum, quod

ſolvendum fuit, vel falſum aliquod commiſſum vel ſimulationem eſſe factam. *tot. tit. Cod. plus valere quod ag.* ibique PEREZ. Nec Quittantiam conſenſu & voluntate ſua conſtare *l. 6. C. de ſolut. & liberat.* Et hoc licebit, intra XXX. dies, alias per teſtes & modum probandi ordinarium minime impediri poteſt executio, id quod tamen conceſſum eſt, quando debitor adverſus creditorem agit hac exceptione, modo id fiat in continenti. CARPZ. *p. 1. C. 32. d. 67.* Quando deinde quæritur, quot teſtibus id efficere liceat, diſtinguendum puto inter privatam & quaſi publicam illa, ſi nempe nullis teſtibus præſentibus ſed tantum creditoris manu ſit conſcripta, duobus extraneis refutari, atque contrarium probari poteſt *c. cum a nobis 28. extr. de teſtibus l. 9. C. de teſt.* Quod ſi vero teſtes adſcripti etiam fuerint ad confirmandam Apochæ fidem, eo caſu per duos teſtes, quamvis ſint omni exceptione majores, modo non ſint illi, qui ſubſcripſerunt, minime deſtruitur apocha, præſumtio enim militat pro Inſtrumento ZOESIVS *ad Tit. ff. de fid. inſtrum. n. 14.* Nec vitiabitur hoc modo quaſi publica, quoniam ſtandum eſt potius inſtrumento, quam teſtibus propter notarii fidem, & Juramentum, pro quo, ſi ſit bonæ famæ, præſumtio juris eſt, propter publicum officium, quod bene & fideliter exercuerit SPECVL. *de inſtrum. edit. ſ. 8. n. 10.*

Th. XLI.

Cancellationem, ut ita loqui liceat, vel rectius deletionem apochæ fidem infringere, non promiſcue aſſerendum. De chirographi deletione quidem verum eſt, illud argui ſolutionem, ſi penes creditorem deletum inveniatur. *l. 24. ff. de probat.* *Anton.* FABER. *in Cod. Lib. 8. tit. 29. def. 1. n. 1.* Sed quamvis creditor cancellata apocha demonſtrare vellet

nego-

negotium liberationis non fuiſſe perfecte abſolutum, nec totum debitum ſolutum: Eum vix audiendum eſſe puto, quoniam in poteſtate ejus fuit, ut cancellaret, aut non. Quod ſi vero creditor chirographum adhuc penes ſe habeat, & apocha reperiatur cancellata apud debitorem, qui tamen ea ipſa ſolutionem probare conatur, de imperfecta ſolutione maxime conjicere licet, non enim præſumitur, quod corrumpendo ſcripturam ſibi ipſimet fuerit injurius. In quo caſu tamen ob circumſtantiarum varietatem, quarum etiam una rem variat, nihil quicquam certi ſtatuendum. Raſura quoque, æque ac litura Quittantiam Falſitatis arguit, etiamſi ab ipſa ſcribentis manu facta fuerit, FARIN. *qu. 151* præprimis ſi ſit in loco ſuſpecto, MENOCH *præſumt. 20. n. 10.* Alias ut raſura in loco minime ſuſpecto teſtamentum non vitiat CARPZOV. *p. 3. C. 3. d. 5.* BRUNNEM *ad l. 12. C. de teſtam.* Ita minime deſtruet apocham. Qua ratione ex præſumtionibus aliis utpote diverſitate Characterum, atque manus, cautelis inſuetis, defectu loci & temporis, nec non aliis conjecturis, falſitas argui, & apochæ fides ita conjunctim infringi poterit.

Th. XLII.

Accidit non raro, ut ex incuria debitoris apocha vel a muribus, aut vermibus patiatur damnum. *arg. l. 1. ſ. fin. ff. de bon. poſſ. ſecund. Tabb.* Hoc ſi in parte ſubſtantiali fuerit factum, ita legi nequeat, aliæ quærendæ ſunt probationes *C. 7. extr. de relig. dom.* Adverſus delentem autem, vel lacerantem poteſt creditor intentare actionem *ex l. Aquil. l. 41. pr. ff. ad l. aquil.* Ubi etiam contra amoventem, actionem furti *l. 27. pr. ff. de furto.* Ob apocham vero plane omiſſam, non intercidit ſtatim obligatio, cum aliis modis judici poſſit fieri fides. *l. 4. l. 1. l. 7. 10. & 11. C. de fid. inſtrum.* Non

Digitized by Google

enim ad ſubſtantiam contractus; ſed ad rei geſtæ fidem pertinet ſcriptura *Magnif. Dn.* STRUVE *Exerc. 28. th 34.* BRUNNEMANN. *ad l. 1. C. de fid. inſtrum.* Hinc ſi aliunde poſſit probari ſolutio, amiſſio apochæ ne minimum quidem nocet debitori *l. 5. ff. de fid. inſtrum. l. 17. C. de pact. l. 19. C. de R. V. l. 4. princ. ff. de comm. dividund.* CARPZ. *p. 4. C. 18. def. 15.* Quod ſi vero Chirographum datum, atque ita contractus in ſcriptis fuerit inchoatus, duo probanda ſunt, (1) depopulatio, furtum, incendium, vel aliud malum, quod cauſam hujus amiſſionis dedit. *l. 5. C. de fid. inſtrum.* (2) Contenta, vel debitum, atque id tantum, duobus teſtibus etiamſi plures fuerint in inſtrumento. BRUNNEMANN. *ad d. l. 5. & in proceſſ. civ. c. 19. n. 18.* Si perierit incendio, atque ſolutio nulla alia ratione probari poteſt, admittendus eſt creditor ad juramentum, CARPZ *p. 4. c. 18. def. 15.* Hinc ſibi optime conſulit, qui ad ſolutionem teſtes vocat, qui videant actualem numerationem, ut, ſi opus ſit, eandem per teſtes probare poſſint. SCHNEID. *ad inſtit. tit. de lit. oblig. n. 20.* Et de hoc in præſentiarum dixiſſe ſufficiat.

FINIS.

JOH.

Digitized by Google

JOH. ANDREÆ FROMMANNI,
J. V. D. & P. P. Tubingenſis,

DISSERTATIO DE APOCHIS,

Von Quittungen,

Menſ. Martii 1664. habita Tubingæ

Reſpondente

Johannes Klein,
Hannoveran.

Digitized by Google

PROOEMIUM.

NUllam in juridicarum materiarum elaboratione tractandi rationem meliorem & utiliorem eſſe ea, quæ in latifundio juris & doctorum traditis hinc inde de materia aliqua ſparſim occurrentia in ordinem revocat cauſarum, & iis ita collocatis effectus ſubjungit, tandemque contraria tum conſtituendis quæ reſiſtunt, tum quæ conſtitutas tollunt, aut in operatione impediunt, cum affinibus oſtendit, jam dudum, præſertim poſtquam Weſenbeciana ſolertia tam feliciter hoc acuminis genere jurisprudentiam illuſtravit, ab eruditioribus creditum eſt. Quæ ipſa cum commodiſſima quoque mihi videretur in materiæ illius elegantiſſimæ & in negotiis civilibus frequentiſſimæ, quæ eſt de Apochis, pertractatione, in eam, & loco inauguralis diſputationis ita ordinata proponeretur, ex variis ad eam pertinentibus, hactenus collectis, in ordinem cogendam cogitationes intendebam. Cum vero amplitudinem ejusdem plus exigere temporis cernerem, quam quod mihi exanthlatis examinibus ſupereſſet, neceſſitate in conſilium verſa, placuit hac vice Inclutæ Facultatis Juridicæ ſtatutis præſentium ex hac materia promiſcue deprom ptarum theſium ſemicenturia ſatisfacere, eamque publicæ & inaugurali cenſuræ debito modo ſubmittere. Quod ut ex voto feliciter cedat, æternum & benigniſſimum Deum devotis veneror precibus.

C. J. N.

C. J. N. D. N. J. C.

SEMICENTURIÆ SELECTIORUM EX MATERIA DE

APOCHIS.

THESIUM

I.

Quod in vernacula noſtra appellamus Quittung, Quittanz, dubia fere vocis origine, id ipſum pluribus ſynonymis effertur tum apud Doctores, id vocantes hinc inde Apodiſſam, Apodiſiam; Recantam; Quitationem; Quietationem; Quitantiam; Inſtrumentum quitatorium; Acceptilationem: tum in textibus juris, quibus vocatur ſecuritas; Chirographum Securitatis; Confeſſio de Suſcepto: Deſuſceptum: Recautum: Profeſſio pecuniæ ſolutæ inſtrumento collata. Frequentius tamen leges uſæ ſunt vocabulo Apochæ, obſervante id AMAYA *in comment. ad Tit. C de apochis publicis in ſummar. num. 4. vid. L. Stichus ult. ſ. 2. ff. de condict. indeb. L.* LVCIVS *46. ſ. 5. de admin. tut. l. ſi accepto 19. ſ. 1. de accept. l. qui tabulas 27. ſ. Apocha 2. ff. de furt. l. plures apochis 19. C. de fide inſtr. t. t. C. de apoch. publ.*

II.

Apochæ vox translata ad obligationum materiam, uti vi nativæ originis id, quod receptum eſt, denotat; ita in Syngrapharum materia pro liberatoria ſyngrapha accipienda erit, profitente nimirum rem, ex obligatione debitam, rece-

receptam eſſe: quanquam Dd. eam interdum quoque ad obligatoriam trahant, & ad iſtum ſignificatum ea utantur, vid. GILHAVS. *art. judic. c. 6. p. 2. art. 2 ʃ. 9. n. 39. & 44. & part. 1 ʃ. 35. Nicol. de* PASSER. *de Privat. Script. lib. 2. per tot.* FREYER. *de Solut. cap. 11. n. 6.* ubi hoc Italis familiare eſſe ex adductis a ſe notavit: quibus jam citatus *Nicol. de* PASSER. addi poteſt.

III.

Apocham tamen male nonnullos appellare acceptilationem ex eo patet, quod præter nomen differant efficiente, ſubjecto, objecto, forma, fine & effectu, *vid d. l. ſi accepto 19. ʃ. 1. ff. de accept. C. J. A. ff. eod. tb. 2. Dn. Habn. ad* WESEMBEC. *eod. num. 1. Dn.* STRVVE *ff. eod. tb. 94.*

IV.

Apocha utut vi originis indiſtincte ſe habeat ad profeſſionem ſolutæ pecuniæ debitæ ore vel ſcripto dato factam; uſus tamen pro apocha eam pecuniæ ſolutæ profeſſionem habet, quæ inſtrumento collata eſt, per text. ſupra citatos quibus addi poteſt *l. ſuper chirographariis ult. C. ſi cert. pet. l. pecuniæ ſolutæ 14. C. de ſolut. Nov. 72. in præfat. Nov. 130. Cap. I. & 3. Nicol. de* PASSER. *d. tr. de priv. ſcript. Lib. I. quæſt. 2. n. 2.*

V.

Apocha ergo eſt Chirographum a Creditore datum, in teſtimonium factæ ſolutionis. Confer. *Nicol. de* PASSER. *d. l. n. 3.* GILHAVS. *arb. judic. d. Cap. 6. part. 2. art. 2 ʃ. 9. n. 14.* FREYER. *d. tr. & c. n. 7.*

VI.

Apocha licet debitori data fuerit, creditor tamen nihilominus eidem ad reſtitutionem chirographi obligatorii adhuc

adhuc obligatus eſt quaſi ex contractu, ex quo debitor condictione ſine cauſa ad id creditorem convenire poteſt. *l. diſſolutæ 2. C. de condict. ex lege l. ſolutionem ult. C. de ſolut. l. 18 ff. l. ſi ex quocunque ult. C. ad ex hib. add. l. in ſumma 2. ſ. 5. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. Dn.* BRUNNEM. *ad d. l. 2. C. de condict. ex lege* & Dd. commun. *ad Dd. txx. Paul. Matth.* WEHNER. *in obſerv. pract. voc.* Quittung. FREYER. *d. tr. de ſolut. cap. II. num. 15.* Quin imo & interdum chirographum rei vindicatione repeti poſſe Dd. ſtatuunt, GAIL. *2. obſ. 37. n. 9.* ubi præjudicium habet *Hartm.* HARTM. *in pract. for. lib. 2. tit. 28. obſ. 3.*

VII.

In caſu tamen quo inſtrumentum obligationis creditor reddere nequit, amiſſum forte per incendium, ruinam, aut alium caſum fortuitum, ſufficiet, amiſſione per jus jurandum, juxta *l. ſi poſtuletur, fin. verſ. ſed ſi quis juret, C. de fide inſtrum.* probata, apocham dare, & in ea de inſtrumento perdito id profiteri, quod, quandocunque id fuerit inventum, inutile caſſum & irritum eſſe debeat; FAC. *l. hujusmodi legatum ff. 84. ſ. 7. de legat. 1.* late GAIL. *d. 2. obſ. 37.* SICHARD. *ad d. l. 2. C. de condict. ex leg. n. 5.*

VIII.

Creditor ut apocham det debitori, cogi poteſt, in caſu quidem, ubi pecunia debita nondum ſoluta petitur, exceptione doli; in caſu vero, ubi jam ſoluta, condictione cauſa data cauſa non ſecuta non ipſius apochæ, ſed pecuniæ debitæ ſolutæ. *l. teſtium facilitatem 18. C. de teſtib. d. l. 19. C. de fid. inſtrum. t. t. ff. de condict. cauſ. dat. junct. l. 2. ſ. 5. & l. dolo facit ſ. 8. ff. de doli mali exc. l. in condemnatione 173. in fin. d. R. J. vid.* FREYER *d. tr. de ſolut. cap. II. n. 12.*

Digitized by Google

IX.

Sed & debitor cogi poteſt a creditore, ut viciſſim eidem antapocham det, hoc eſt, ut ſcripto fateatur debiti probationis futuræ cauſa, ſe ex hac vel illa cauſa pecuniam debitam ſolviſſe, quo aliquando, negando obligationem, ſua confeſſione convinci queat. *d. l. plures apochis 19. C. de fid. inſtrum. Hartm.* HARTM. *d. pract. for. tit. 27. obſ. ult. num. 4. Dn.* BRUNNEM. *ad d. l.* ubi, quod ab aliis vix factitatum, hoc exemplificat etiam in creditore, qui a debitore uſuras accipit.

X.

Apocha amiſſa debitor a creditore aliam jure petere poteſt; in qua tamen, ut amiſſa caſſetur, tutum erit. SICHARD. *ad d. l. 2. de Cond. ex leg. num. 6.* ubi addit gloſſam id etiam vice verſa de amiſſa obligatione in creditore verum dicere, *Hartm.* HARTM. *d. l. n. 4.* Quod tamen in apochis fiſcalium debitorum non admittitur, niſi ſolutio non reperiatur ſcripta in publicis rationibus, ut patet ex *l. ne caſu amiſſa 2. C. de diſcuſſor. lib. 10. Dn.* BRUNNEM. poſt PEREZ. *C. eodem in fin.*

XI.

Apochis duabus penes debitorem de una & eadem cauſa & ſumma repertis, præſumtio eſt, ſolutionem bis factam fuiſſe, & propterea condictio poſterius ſoluti, tanquam indebiti, efficaciter inſtitui poteſt. *arg. d. l. 2. C. de diſcuſſor.* & ibi BALD. & Dd. & ex his *Ludov.* ROMAN. *ſing. 553.* per late deducta a MENOCH. *conſil. 1207. n. 1. & ſeqq.*

XII.

Apocha ne juxta *d. l. ſuper chirographariis ult. C. ſi cert. pet. & Auth. ſeqq. ſed novo jure,* trium aut quinque probatæ opinionis teſtium ſubſcriptione muniatur, & tamen effectum

juris

Digitized by Google

juris ordinarium habeat, a creditore & debitore contra di-ctorum jurium diſpoſitionem conveniri non poteſt, aut ſolennitati huic renunciari. Quod idem erit, ſi ſtatuto aut ſimili jure quid aliud ad apocharum ſolennitatem fuerit introductum. SICHARD. *ad d.l. in fine. Dn.* BRUNNEM. *d.l.*

XIII.

Apocha niſi recognita a ſcribente fuerit, vim probandi non habet; ut ita recognitio ejusdem adhuc accedere debeat, ad producendum effectum tanquam cauſa ſine qua non; *l. cognoſcere 56 pr. ff. de V.S. l. cum plures 15. §. ult. ff. de reb. auth. jud. poſſ. l. inſtrumenta 5. C. de probat.* per ea quæ in genere de privatæ ſcripturæ recognitione tradit *Nicol. de* PASSER. *dict tr. de privat. ſcript. lib. 1. quæſt. 14.* & ab eo admodum in hac materia laudatus SCACCIA *de judic. cauſar. civ. lib. 2. cap. 11.* nec non noviſſime Dn. CARPZ. *in proceſſ. Jur. tit. 24. art. 2* & in ſpecie ex MASCARD. *concl. 109. n. 2.* GILHAUS. *d. tr. c. 6. part. 1. §. 34.*

XIV.

A debitore tamen in judicio producta, utut a Creditore recognita non fuerit, præter hoc, quod teſtibus probari queat. COLER. *de proceſſ. execut. part. 3. C. I. num. 130. & ſeqq.* legitime facta literarum comparatione & ſimilitudine deprehenſa, vim quoque non ſemiplenæ tantum, ut nonnulli volunt *vid M. Anton.* NATTA *tom. 3 Conſil. 632. num. 1. & ſeqq.* TRENTACINQV. *var. reſol. lib 2 reſol. 7. de fid. inſtrum. n. 4.* probationes accipiet, ſed plenæ omnino. De qua comparatione agit *l. comparationes literarum 20. C. de fid. inſtrum. Nov. 49. c. 2. Nov. 73. C. 6. & 7.* RITTERSHUS. *in expoſ. Nov. p. 9. c. 25.* ubi de comparatione literarum & inficiatione chirographi. Ita poſt alios ſentiunt quoque *Diod.* TULD *in Comm. C. de fid. inſtrum. num. 5.* Dn. CARPZ. *d. l. art. 3. n. 74.*

F 2 Dn.

Dn. BRUNNEMANN. *in comm. ad d. l. 20. & auth. ſeq. C. de fide inſtrum.*

XV.

Apocha apud creditorem reperta, ad probandam ſolutionis exceptionem nihil operabitur, etiamſi creditor eandem ſua manu ſcriptam eſſe recognoſcat; quin potius præſumtionem inducit nondum factæ creditori ſolutionis. Quemadmodum contra, ſi chirographum obligatorium penes debitorem deprehenditur, a creditore retro traditum præſumitur, & facta ſolutio aut liberatio ſi non ad effectum transferendi onus probandi in creditorem, quod nempe non ipſius voluntate penes debitorem ſit; ad effectum tamen illum, ut debitori petenti juramentum in ſupplementum de ſolutionis veritate aut chirographi in hunc finem a creditore facta redditione deferatur, *per l. Labeo 2. in fin. ff. de pact. l. ſi chirographum 24. ff. de probat. l. creditricem 7. C. de remiſſ. pign. l. 14. l. quod debitori ſeq. C. de ſolut. junct. l. in bonæ fidei. 3. C. de R. C. l. admonendi 31. ff. de jurejur. Joh.* KÖPPEN *dec. 2. enucl. 1. num. 104. Hartm.* HARTM. *de pract. for. lib. 2. tit. 27. obſ. ult. n. 1. & ſeqq.* Dn. CARPZ. *J. F. part. 2. conſt. 29. defin. 12.*

XVI.

Licet chirographum obligatorium cauſam debendi, non exprimens efficacem obligationem non probat. *l. cum de indebito 25 §. fin. ff. de probat. l. palam eſt. 2. §. 3 ff. de dol. mal. & met. except. C. ſi cautio 14. X de fid. inſtrum.* SCHNEIDEW. *ad tit. de lit. oblig. n. 14.* apocha tamen ſolutionis cauſam non exprimente regulariter facta ſolutio efficaciter probatur. *per l. tale pactum 40. pr. ff. de pact.* SICHARD. *ad l. 13. C. de non num. pec. n. 4.* Etſi vero cauſæ expreſſio non eſt neceſſaria, ut tamen exprimatur, tutius erit.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Apocha danda eſt cuicunque ſolventi, etſi debitor plane non fuerit, vel non principalis, ſed fidejuſſor. vid. HERING. *de fidejuſſ. cap. 20. ſ. 1. num. 58.* ubi adducit *l. 19. C. de fid. inſtrum.*

XVIII.

Apocha data a creditore debitori principali, data ſimul cenſetur ejus fidejuſſori, ita ut in commodum quoque ipſius ſolutionem probet. *arg. pr. Inſt. quib. mod. toll. obl. & eorum quæ ſunt ap.* HERING. *d. l. n. 4. & ſeqq.* FREYER. *de ſolut. cap. II. num. 6.*

XIX.

Apocha a tutore vel curatore, in adminiſtratione conſtituto ſimpliciter, nec cum debita ſolennitate ſi fuerit data, non perinde id habetur, ac ſi a pupillo legitimæ jam ætatis, data fuerit, nec contra eundem effectum probandi ſolutionem habebit, quicquid etiam Accurſius, & qui eum ſequuntur, *ex l. 26. de admin. tutor.* ſtatuant. Cujus legis tenorem ſententiæ noſtræ non contrarium, poſt Jaſonem recte enucleat. *Munoz. ab* ESCOB. *d. tract. de ratioc. admin. cap. 23. num. 41.*

XX.

Apocham de ſoluto petere poteſt & is qui per depoſitum juris ab obligatione liberatus eſt, perinde ac ſi ſolutio a creditore recepta fuiſſet: ad quod creditor per judicem cogi poteſt. Quod in practica plurimum notandum eſſe monet SICHARD. *ad l. obſignatione 9. C. de ſolut. n. 8.* Add. *Hartm.* HARTM. *in pract. for. lib. 2. tit. 27. obſ. 22. in fine. Magnif.* Dn. LAUTERB. *in diſput. de depoſ. jur. th. 2.*

XXI.

Apochæ inſtrumentum tantum ad probandum fiſcalis

Digitized by Google

debiti ſolutionem requiri, non vero per teſtes probandi rationem admitti, poſt alios AMAYA *ad l. 1. C. de Apoch. publ. n. 16. & ſeqq.* docet. Verum præterquam quod regula eſt in contrarium. *in l. 1. l. 5. l. 11. & aliis C. de fid. inſtrum.* in ſpecie hac ipſa obſtat quoque textus in *l. ne caſu amiſſo 2. C. de diſcuſſor.* ut nobis cum Dn. BRUNNEM. *ad d. l.* videtur.

XXII.

Per apocham tantum, aut per quinque teſtes juratos, & non aliter, licet de jure Juſtinianæo per *l. teſtium facilitatem 18. C. de teſtibus*, probanda ſit ſolutio debiti in ſcriptis contracti, id ipſum tamen moribus hodiernis non convenire tradit. RITTERSHUS. *in expoſ. Nov. part. 9. c. 22. num. 15.* PEREZ. *Cod. de teſtib. n. 16.* De qua tamen juris communis abrogatione tacens SICHARDUS cum gloſſa ejus diſpoſitionem ad magnas ſummas, id eſt, 50. aureos excedentes reſtringere maluit *in comment. ad d. l. 18. n. 5.*

XXIII.

Apocha ſi tantum a creditore ſubſcripta fuerit eundem effectum habebit, quem ea habet, quæ tota a creditore ſcripta; per ea quæ in genere tradit *Theod.* HÖPPING. *de jur. ſigill. cap. 15. n. 165 & ſeq.* MENOCH. *præſumt. 66. Nicol. de* PASSER. *d. l. n. 129. & ſeqq. maxime num. 134.*

XXIV.

Apocha habens ſolum creditoris ſigillum appoſitum idem operatur. *Id.* HÖPPING. *d. l. & n. 141. & ſeq.* quod multis deducit *Joh.* KÖPP. *d. deciſ. 2. enucl. I. num. 108. & ſeqq.*

XXV.

In Apocha ut locus, ubi ſcripta, adjectus ſit, ad effe-

ctum

Google

ctum obtinendum regulariter non requiritur. *arg l. cum tabernam 34. ſ. 1. de pignor. arg. l. 1. C. de apoch. pub.*

XXVI.

Apocha legitime recognita regulariter operatur ad ſuum effectum, etiamſi teſtes acceſſerint vel ſubſcripſerint nulli, *arg. l. Publio 26. ſ. fin. ff. depoſ. l. Generaliter 13. C. de non num. pec. l. 40. pr. ff. de pact.*

XXVII.

Apocham recipere melius ac tutius eſt debitori quam inſtrumentum obligationis; tutius autem erit, ſi utrumque receperit HERING. *de fidej. d Cap. 20. ſ. 1. n. 56.* FREYER. *d. tr. de ſolut. cap. II. num. 15.* WEHNER. *in obſerv. pract. d. voc.* Quittung.

XXVIII.

Apochæ ne ſubtraherentur perſonis ob ætatis aut mentis vel corporis defectum aliorum tutela vel cura indigentibus, ex aliis haud poſtrema fuit cauſa, cur creditoribus, ne ſuorum debitorum tutores ſint aut curatores jur. Juſtinian. novo nempe *Nov. 72.* & inde deſumta. Auth. minoris *poſt l. 8. C qui dar. tut.* ſub pœna prohibitum ſit *Dd. ad ſ. 5. inſt. de excuſ. tut. Coll. 1. d. ff. de tut. th. 10.*

XXIX.

Quæ ratio cum in teſtamentariis & dativis cum inquiſitione datis, æque militet, diſpoſitionem hanc contra nonnullos, utut magni nominis Juriſconſultos, eorum tamen authoritate reverenter habita, ad ſolos legitimos reſtringere abſtinemus, ac propterea de omnibus tutoribus eandem accipimus. conf. RITTERSHUS. *in expoſ. Nov. part 8. cap. 4.* ubi multa in hanc rem quærit, *Dn.* CARPZOV. *J. F. p. 2.*

conſtit.

Digitized by Google

conſtit. II. def. 19. & ſeq. Dn. LUDWELL. *Diſp. Juſtin. 3. th. 6. lit. D.*

XXX.

Apocha ſurrepta furti actio in id quod intereſt, locum non habet, ut ſcil. duplo vel quadruplo, quantitas illa æſtimetur, ſi ei, cui furtum factum eſt, aliæ ſolutæ pecuniæ ſint probationes *l. qui tab. 27. §. 2. de furt.* & ibi Dn. Joh. Otto TABOR. *in racemat. p. 202.*

XXXI.

Apocha eſt ſtricti juris WESEMBEC. *conſil. 42. num. 43. & ſeq.* HERING. *de fidejuſſ. cap. 20. §. 8. num. 9.* WEHNER. *in obſ. pract. voc.* Quittung. Unde in dubio, quanquam generalis ſit, computata tantum in rationibus tollit; non autem ad doloſe occultata extenditur. *l. tres fratres 35. ff. de pact. l.* POMPONIVS *9. ff. de neg. geſt. Paul.* PARIS *Vol. I. conſ. 88. n. 40. & ſeq.* nec ad ea quæ ſub re & cauſa, in ea expreſſa, non comprehenduntur. *l. ſi de certa 31. Cod. de tranſact.* Regner. SIXTIN. *vol. 3. conſ. Marp. 12. num. 17.* ex MASCARD. *concluſ. 1252. n. 28.* Stephan. NATHEN. *de juſt. vulner. p. I. tit. 7. cap. 10. num. 1.* FREYER *d. tract. de ſolut. cap. II. num. 31. & ſeqq.*

XXXII.

Apochas tributariæ ſolutionis trium cohærentium annorum ſi collator debite exhibuerit, præſumitur exinde retro quoque ſingulorum annorum debita exſolviſſe propter *l. quicunque 3. C. de apoch. publ.* adeo ut exhibitis illis onus probandi, nempe debita illa nondum exſoluta, eſſe, rejiciatur in ipſum publici debiti exactorem, nec collator teneatur vel iſtorum annorum apochas oſtendere, vel, uti quidem vult AMAYA *ad d. l. 3. C. de apoch. num. 7. & ſeqq.* ſolutio-

nem

Digitized by Google

nem præſumtive factam juramento confirmare, aut jurare ſe credere jam ſolviſſe, aut non recordari de contrario; aut quid aliud pro ſolutionis probatione præſtare. Poſt MYNSING *5. obſ 39.* PEREZ. *C. de apocb. publ. n. 5.* Dn. BRUNNEM. *ad d. l. 3.* add. AMAYA *ad d. l. 3. C. de apocb. publ. num. 7. & ſeqq.*

XXXIII.

Apochæ publicæ per *d. l. 3.* idem effectus eſt etiam in annuis penſionibus ex fundo emphytevtico, cenſuario, & ſimilibus, ad fiſcum pertinentibus, debitis. MYNSING. *d. l. n. 3.* Dn. BRVNNEM. *d. l.*

XXXIV.

Apochæ quin imo etiam privatis in debitis, ſi ita fuerint productæ e. g. ab emphytevta, colono, inquilino, producens *d. l. 3.* beneficio gaudebit PEREZ. *d. l. n. 7.*

XXXV.

Non autem, quod gloſſa quidem, Baldus, & poſt hos alii credunt, neceſſe putamus, ut anni iſti tres immediate contingant annum exactionis, ſed retro ſolutionem factam præſumi, etiamſi inter ultimum cohærentis illius triennii annum & diem exactionis per aliquot annos ſolutio annua fuerit intermiſſa, defendemus cum MENOCHIO *3. præſumt. 139. n. 14 & ſeqq.* & qui eum ſequuntur FACHIN. *13. controv. c 89.* Dn. BRVNNEM. *d. l.* & alii.

XXXVI.

Nec videmus ſufficientem rationem, quare hoc ipſum in debito annuo tantum reali, id eſt, rei ad creditorem pertinentis occaſione proveniente, non autem etiam in debito

annuo mere perſonali obtinere ſtatuamus cum MYNSINGERO *d. 5. obſ. 39. in fin.* & cæteris ab eo allegatis. Quin igitur ſi quis ex promiſſione debitor in centum annuos tribus apochis ita munitus erit, eodem jure eundem gaudere cum MENOCHIO *d. l. n. 27.* defendemus.

XXXVII.

Quietationem cum clauſula liberatoria ut ut frater dederit ſorori de omni eo, quod ex hæreditate paterna ſibi debebatur, non tamen prohibetur petere feuda a patre relicta, per ea quæ de generali bonorum alienatione & obligatione tradunt SCHRADER *in tract. feud. part. 7. cap. 2. n. 77. & ſeqq.* ROSENTHAL. *de feudis tom. 1. cap. 9. membr. 1. concl. 13.*

XXXVIII.

Apochæ minus recte effectus liberationis tribuitur, cum ea conficiatur ad liberationis per ſolutionem jam factæ probationem, & ſic liberationis conſequens ſit; non vero cauſa eandem antecedens *arg. l. ſi ex quocunque ult. C. ad exhib.* & eorum quæ de effectu, quem parit, probationis, ſupra dicta ſunt.

XXXIX.

Acceptilatione mutui, civilis obligatio naturali ſublata non tollitur, & propterea condictio certi ex mutuo adhuc inſtitui poteſt, ita ut reus exceptionem non competentis actionis objicere nequeat. At apocha a reo producta, utraque & naturalis & civilis obligatio ſublata probatur per ſolutionem, ut ita ea munitus exceptionem non competentis ſeu peremtæ actionis recte objiciat fac. *l. ſi accepta 19. pr. de accept. junct. l. An inutilis 8. pr. ff. eod. pr. & ʃ. 1. & 2. Inſt. quib. mod. toll. obl.* add. Dn. HAHN. *ad* Weſembec. *de except. th. 7.*

tb.7. ſolet autem ita pronunciari in hoc caſu; Dieweil Kläger die von beklagten producirte Quittung gebührlich recognoſciret, ſo hat Beklagter damit ſeine vorgeſetzte exceptionem ſolutionis zur Nothdurfft beybracht, und wird demnach von Klägers Zuſprüchen (vel von der angeſtellten executions-Klage) billig entbunden: Immaſſen wir ihn hiemit davon entbinden und bezahlen, referente FREYER *d.tr.cap.11.n.44.*

XL.

Debitor a creditore ex mutuo conventus ad ſolutionem, ex eo, quod producit apocham, de ſolutione ſimpliciter excipiens ſi apocha non recognoſcitur ab actore, nec probari alias poteſt, quod ab ipſo data, propterea non eſt exiſtimandus confiteri actoris intentionem, per text. general. *in l. Non utique 9 ff. l. ſiquidem 9. C. de except. c. exceptionem 63. d. R. J. in 6. C paſtoralis 6. X. de except.* TRENTACINQV. *var. reſol. lib. 2. reſol. 2. de except. n. 2. & ſeqq.* Dn. BRVNNEM. *ad d. l. 9.*

XLI.

Fiſcus ſeu fiſci adminiſtrator, ſi debitori fiſcali ſpe accipiendæ ſolutionis, quæ tamen non ſecuta, apocham dederit, & poſtea fiſcale debitum ab ipſo exigere velit, contra rei exceptionem ſolutionis, apocha nitentem, replicationem non numeratæ pecuniæ, nullo tempore objicere poteſt, ne quidem intra triginta a tempore dationis dies, adeoque per eandem collator ſtatim ſecurus redditur de juris Juſtinianei diſpoſitione, quæ habetur *in l. in Contractibus 14. ſ. 1. Cod. de non num. pec. l. 1. l. ult. C. de apoch. publ. l. ſecuritates 11. C. de ſuſcept. lib. 10.* BERLICH. *5. concl. 57. n. 65.* cujus rationem exponit PEREZ. *C. de apoch. publ. num. 12.* SICHARD. *ad d. l. 14.*

Digitized by Google

ſ.2. n.3. Adde TRENTACINQV. *var. reſol. lib. 3. reſol. 20. de ſolut. n. 26.*

XLII.

Quodſi tamen Quæſtor, officialis aut alius fiſci aut Principis adminiſtrator, debitori fiſci, quod mulctam, laudemium, & ſimile quid fiſco debitum, ſolverit, apocham ſimplicem, & non ſolennem, (uti vocatur *in l. 2. ſ. fin. C. de quadr. præſcr.*) hoc modo dederit, & poſtmodum a fiſco vel domino ob malam adminiſtrationem conventus non ſolvendo depræhenſus fuerit, apocha illa, ſecundum BERLICHII *d. l. n. 68.* multis, præſertim optimorum Dd. authoritatibus firmatam ſententiam fiſco vel domino non præjudicabit, quo minus querelam non numeratæ pecuniæ replicando opponere queant. Quam doctrinam etiam ut communiorem & receptiorem ex fundamentis adductis laudat. *Munnoz. de* ESCOBAR. *d. ratiocin. adminiſtr. Cap. 23. num. 11.* & ut veriorem agnovit noviſſime *Dn.* BRVNNEM. *ad d. l. ult. C. de apoch. publ.* eamque etiam in quovis adminiſtratore locum habere, ſupra laudati aſtruunt.

XLIII.

Apocha poſt triginta a tempore dationis dies veram ſolutionis probationem inducit, adeo ut non numeratæ pecuniæ remedio amplius creditor non juvetur, etiamſi onus probandi, non eſſe factam numerationem, in ſe ſuſcipere velit, *l. 14. ſ. 2. & ſeq. C. de non num. pec.* SICHARD. *ad d. l. 14. n. 5.* & ibi Dd. HARPRECHT. *ad Tit. inſtrum. de liter. oblig. n. 59.* BESOLD. *parte 2. conſil. 59. num. 7. & 8.* Quam aſſertione communem Dd. ſententiam eſſe tradit Dn. CARPZOV. *J. F. part. 2. Conſt. 29. def. 19. in fin.* Imo etiamſi juramento medi-

Digitized by Google

mediante probare velit creditor ſolutionem non eſſe factam, tamen eundem audiendum non eſſe, recte, præter *d. l. 14. ſ. 3.* aliquot rationibus defendit FREYER. *d. tr. de ſolut. Cap. II. n 39 & ſeqq.* duobus.

XLIV.

Unde nec etiam condictionem apochæ ex capite non factæ a debitore ſolutionis poſt triginta dies inſtituere poteſt creditor *arg. d. l. 14. ſ. 1. & ſeqq.*

XLV.

Quanquam vero poſt *cap. quoniam fin. X. de præſcript.* præſcriptionem mala fides impediat, & in caſibus, qui animæ ſalutem concernunt, (quos inter & præſcriptionis materiam referunt,) Jus canonicum in imperio moribus plerumque obſervetur. RITTERSHUS. *in differ. jur. civ. & can. proœmio*, & noviſſime Dn. BRANDMÜLLER *in manuduct. ad jus canon. prælimin. cap. 6.* non tamen propterea moribus abrogata deprehenditur juris Juſtinianei circa exceptionis non numeratæ pecuniæ adverſus apochas præſcriptionem diſpoſitio. Quin vero quod ea ita adhuc obſervetur, ut probatio in contrarium non admittatur, ſed talis petitio in judiciis rejiciatur, duobus Dnn. Lipſienſium præjudiciis confirmat. Dn. CARPZ. *d. l.* & non obſtante juris pontificii æquitate, hoc verum eſſe expreſſe docet *Anton.* RAUCHB. *p. 2. quæſt. jur. Civ. & Saxon. ult. num. 17. & ſeqq.* Ut ita arbitremur, neminem in pronunciando morari debere, quod de hoc tradit AMAYA *ad d. l. ſecuritatibus ult. C. de apoch. publ. n. 10.* nempe ſemper audiendum eſſe eum, qui ubi ita dedit apocham, probare velit, ſibi non numeratam fuiſſe pecuniam; aut petat, ut juret poſitiones, qui apocham exhibet,

Digitized by Google

nempe propter malam fidem, nec etiam id attendendum, quod *Diod.* TULDEN *in Cod. de non num. pec. n. ult.* exiſtimat, veram ſcil. eſſe allegatorum ab ipſo ſententiam, ſi nimirum agatur contra poſitum in bona fide, v. gr. hæredem debitoris, & propterea quod de moribus ſententiæ noſtræ contrariis ſtatuit *Arnold.* VINN. *in comm. ad tit. inſt. de litterar. obl. n. 12.* merito non in dubium tantum vocandum, ſed & negandum erit.

XLVI.

Ex quo eſt, quod debitorem apocham poſt XXX. dies producentem, ut ut poſt præſcriptionem ſcientia non factæ ſolutionis eidem ſupervenerit, in foro quoque conſcientiæ tutum fore, contra TRENTACINQVIVM *var. reſol. lib. 3. reſol. 20. de ſolut. n. 33.* cum Felino indiſtincte hoc negantem, credamus ex argumentis eorum qui pro uſucapionis juſtitia in hoc quoque foro pugnant. Vid. *Hugo du* ROY. *in tract. de eo quod juſtum eſt. l. 3. tit. 6.*

XLVII.

Apocha ſeu confeſſio dotis acceptæ a marito, non poſt confectionem dotalium inſtrumentorum ex intervallo data, vim probandi quidem ſecundum diſpoſitionem *l. in dotibus ult. C. de dote caut. non num.* & ſubjunctam *auth. quod locum ex Nov. 100.* contra maritum & ejus hæredes habet; per ea, quæ de privatis inſtrumentis in genere *ex l. Inſtrumenta domeſtica 5. l. 6. l. exemplo 7. C. de probat.* tradunt Dd. minime vero contra creditores ipſius, quibus ubique regulariter adhuc integrum eſt in concurſu, uxoris prælationem quærenti, non numeratæ dotis exceptionem opponere Dn. CARPZ. *J. Pr. forenſ. p. 1. C. 28. D. 72.* Conf. Bald. NOVELL. *tr. de dote part. 10 privil. 1.*

XLVIII.

Digitized by Google

XLVIII.

Hanc ergo facultatem creditoribus competere exiſtimamus etiam poſt tempora, intra quæ cum privilegio a marito exceptio iſta opponi potuit: ut ita mulier contra eos teneatur illationem dotis probare, (& quidem vere, non juramento;) niſi & ipſi creditores, quibus cum de prælatione contendit, ſuorum creditorum nudas tantum debitoris confeſſiones haberent, nec aliter realem numerationem docere poſſent, per ea, quæ tractat Dn. CARPZ. *d. l. def. 74. & duabus ſeqq.* conf. Andr. RAUCHBAR. *d part. 2. quæſt. Jur. civ. & Saxon. 30.* Dn. BRUNNEM. *ad. d. auth.*

XLIX.

Apocha Tubingæ quæ hodie ſcribitur, in qua creditor confitetur ſe nudius quartus Lutetiæ Pariſiorum debitum accepiſſe, confitenti minime præjudicat, *propter l. ſi is cujus nomine 14. ſ. 1. ff. de interrog. in jur. fac.* Niſi forſan apocham producens probaverit, quod ante acceptam apocham id actum fuerit inter ipſos, quod in *l. ſi ſervus ult. ſ. ſi inter eos 4. ff. de verb. oblig.* in ſimili JCtus Gajus refert.

L.

Adeo autem regulariter non præjudicat talis apocha, ut juramentum etiam, ſi quod ei acceſſit, nullam eidem veritatem conferat, nullumve pondus, propter *cap. etſi Chriſtus 26. X. de jurejur.*

FINIS.

A61647453 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google